Natorp.

QUOS AUCTORES IN ULTIMIS BELLI PELOPONNESIACI ANNIS DESCRIBENDIS SECUTI SINT DIODORUS PLUTARCHUS CORNELIUS IUSTINUS.

QUOS AUCTORES IN ULTIMIS BELLI PELOPONNESIACI ANNIS DESCRIBENDIS SECUTI SINT DIODORUS PLUTARCHUS CORNELIUS IUSTINUS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS NATORP

RHENANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM J. TRUEBNER

1876.

ULRICO KOEHLER

GUILELMO STUDEMUND

PIETATIS ERGO

I.

De Theopompi historiae Graecae initio quae nuper a Frickio [1]) prolata sunt, ut quaestionis quam aggressuri sumus tamquam firmum fundamentum habeamus, accuratius examinanda nobis sunt. Cum enim Diodorus duobus locis libri XIII c. 34 et c. 36 eadem fere tradat de eis, quae facta sunt post infelicem expeditionis ab Atheniensibus contra Siciliam susceptae exitum, et omnino ea, quae c. 34—37 narrata sunt, non iusto ordine inter se cohaereant, sed mirum in modum permixta sint, Frickius his difficultatibus ita conatus est mederi, ut Ephorum statueret adhibitum esse a Diodoro c. 34, 1—3. 38, 3—41, 3, Theopompum c. 36, 1—38, 2. 41, 4—42, 4; et in eis quidem, quae ex Theopompo sumpta esse censet, certam quandam rerum dispositionem cognoscere sibi videtur, quae in ipsum initium historiae Graecae Theopompi apte conveniat.

Primum igitur quod Diodorus bis de eis refert, quae post exitum expeditionis contra Syracusanos susceptae facta sunt, mirum sane est: sed rectissime Collmannus [2]) utrumque locum ex eodem auctore sumptum esse statuit. Nam praeter perpauca, quae utriusque capitis initio diverse narrantur, reliqua ita inter se congruunt, ut in c. 34 nihil omnino quod ad ipsas sententias pertineat, vix singula verba inveniantur, quae non eadem sint in c. 36: quamquam hoc paulo minus neglegenter scriptum est. Accedit quod utroque loco respublica Atheniensium in paucorum potestatem redacta, discordia inter duces Atheniensium orta, clades apud Oropum accepta ita inter se coniunguntur, quasi haec facta ipso rerum ordine inter se conexa fuerint: quod quoniam neque apud Thucydidem ita traditur, neque per se ullo modo verisimile est, apparet Diodorum,

[1]) W. Fricke, Untersuchungen über die Quellen des Plutarchos im Nikias und Alkibiades, Lipsiae 1869, pag. 14—17.

[2]) Collmann, de Diodori Siculi fontibus, Lipsiae 1869, pag. 23.

cum ex eis, quae de toto hoc temporis spatio apud auctorem suum tradita invenerat, haec pauca, quae per se minime inter se cohaerent notasset, ea, ne rerum ordo ac dispositio omnino desideraretur, levissime sic ut nunc utroque loco legimus coniunxisse.[1])

Quod autem haec ipsa, quae ex uno scriptore excerpserat, duobus locis scripsit, ea quae saepe in Diodoro vituperata est neglegentia factum est: cum enim eis, quae c. 34, 4–35, 5 de rebus Siculis narrantur, ordo eorum, quae ad res Graecas pertinent, interruptus esset, facile fieri potuit, ut scriptor neglegentissimus haec a se iam tradita esse oblivisceretur. Etiam cur ipsa initia duorum capitum inter se non congruant, haud difficile est perspectu, si apud auctorem Diodori utrumque exstitisse ponimus. Quod verisimile esse comprobatur collato gravissimo illo Thucydidis in librum octavum prooemio (VIII, 1. 2), in quo primum eam sententiam, qua Diodorus initio c. 36 ad res in Graecia gestas narrandas revertitur, reperimus, inde quod c. 2 in eodem sententiarum ordine additur, quamquam non prorsus idem atque id quod apud Diod. c. 34 legitur, tamen simillimum ei est: apud Diodorum enim socii ab Atheniensibus defecisse traduntur, apud Thucydidem deficere in animo habuisse. Verisimile igitur est Diodori auctorem, cum res post exitum Siculae expeditionis gestas narraturus esset, hoc Thucydidis prooemio ita usum esse, ut ordinem rerum secun-

---

[1]) Operae pretium est hoc uno exemplo Diodori neglegentiam, quae praecipue cernitur in singulis sententiis inter se coniungendis, accuratius illustrare. Statim enim initio c. 34 mirum est, quod Chii Samii Byzantii ab Atheniensibus dicuntur defecisse, cum Byzantios multo post, Samios neque tunc neque postea defecisse constet. In eis deinde, quae in utroque capite eisdem fere verbis narrantur, c. 34 etiam levius et neglegentius scriptum est. Eis quae sola addita sunt in c. 34 (ἐκεῖ γὰρ ὥρμουν κτλ.), verba magis quam ipsae sententiae inter se coniunguntur. Quae in utroque capite de discordia imperatorum narrantur, ad ea videntur spectare, quae apud Thucydidem leguntur l. VIII, c. 89—93. Initio c. 36 molestissima est haec eiusdem sententiae repetitio οὐ μὴν ἔληγόν γε διὰ τοῦτο τῆς Λακεδαιμονίων φιλοτιμίας περὶ τῆς ἡγεμονίας, ἀλλὰ .... φιλονεικοῦντες μέχρι τῆς ἐσχάτης ἐλπίδος ὑπὲρ τῶν πρωτείων, et porro haec altera δύο στρατηγοὺς ἀλλοτρίως ἔχοντας πρὸς ἀλλήλους .... οἱ δὲ

dum sententias ex illo sumptas institueret. Ceterum unum illud Diodori in his capitibus, quod non ex Thucydide sumptum esse potest, non alteroutro, sed utroque loco invenitur: ea enim quae ex infelici Atheniensium casu effecta esse traduntur, et in c. 34 et in c. 36 referuntur ad Atheniensium et Lacedaemoniorum de summo Graeciae imperio contentionem: quod et ipsum mirum esset, nisi utrumque caput ex eodem scriptore sumptum esset. Igitur si ex diversis duorum capitum initiis unum fecerimus, nihil difficultatis restat.

Quod si haec duo capita non ex pluribus scriptoribus sumpta esse constat, alterum quod Frickius coniecit falsum esse apparet. Eo enim loco, ubi demonstrare conatur c. 36 et 37 ex Theopompo sumpta esse, recte quidem in c. 37 ipsum rerum ordinem consulto ita institutum esse dicit, ut Alcibiadis merita quam maxime elucerent; falso tamen putavit eandem ob causam factum esse, ut in eis quae c. 36 traduntur Alcibiadis nulla fieret mentio. Quod, siquidem c. 34 et 36 ad eundem scriptorem referenda sunt, non recte se habere potest, si tamen in c. 34 alio Diodorus nitebatur auctore atque in c. 37, ut idem voluit. Sed etiam aliam ob causam c. 36 et 37 vix ad eundem auctorem referre licet. Ex Thucydide enim satis apparet ea quae Diod. c. 36 narrat de imperatorum discordia et de pugna apud Oropum facta, ad eum capitis 37 locum pertinere, ubi Alcibiades reditum in patriam sibi parasse traditur: in quo etiam quae Alcibiades cum optimatium factione Atheniensi egit omissa sunt. Neque vero probabile est aut apud Ephorum aut apud Theopompum iustum rerum ordinem ita turbatum fuisse. Multo verisimilius est eo id factum esse, quod

---

στρατηγοὶ πρὸς ἀλλήλους ἐστασίαζον. Neglegentissime deinde quae de pugna apud Oropum facta traduntur adnexa sunt verbis καὶ τέλος. Denique quod socii dicuntur propter imperatorum contentiones defecisse, falsissimum est: quod et ipsum ideo videtur additum esse, ut res minime inter se cohaerentes verbis tamen coniungerentur. Apparet igitur ubicunque apud Diodorum vel alios posterioris temporis scriptores tanta neglegentia et levitate sententiae inter se conexae sunt, non ipsam rerum ac sententiarum coniunctionem talem qualis apud illos extat ex auctoribus eorum sumptam esse posse: qua re viri docti mihi nonnunquam videntur errasse.

Diodorus ab altero auctore ad alterum transiit. Postquam enim in c. 36, ubi alterum auctorem sequebatur, propter brevitatem excerptorum suorum ea quae de Alcibiade tradita erant praeteriit, in eis, quae c. 37 secundum alterum auctorem refert, illa quae antea iam narraverat omisit. Frickii autem sententia etiam eo refutatur, quod ille perturbatus ut mihi videtur rerum ordo, qui, si c. 36 et 37 ad eundem auctorem referenda essent, in relatione eius inesset, non invenitur apud eos scriptores, quos eodem auctore usos esse ipse Frickius censet (p. 17). Justinus enim (V, 3) prorsus eodem ordine quo Thucydides has res narrat; apud Cornelium desunt cetera quae de optimatium dominatione traduntur, commemorantur tamen (Alc. 5, 3) quae Alcibiades cum ea factione egerit, ut facile intellegatur Cornelium hoc loco non omnia quae apud auctorem suum invenerat excerpsisse, sed ea sola quae ad ipsum Alcibiadem pertinerent. Plutarchus et ipse de Alcibiadis dolis et optimatium dominatione suo loco refert, et praeterea apud eum vestigia eiusdem quam Diod. c. 36 secutus est relationis apparere videntur: nam quod Plutarchus de quinque milium imperio dicit, id aptissime convenit cum eo quod apud Diodorum de eadem re legitur (Plut. Alc. 26 *καὶ μαλακώτερον ἥπτοντο τοῦ πολέμου.* Diod. 36, 6 *πολὺ χεῖρον τὸν πόλεμον διῴκησαν*).

Sed iam transeamus ad ipsum c. 37. In quo statim cognoscimus sententias certo et satis distincto ordine inter se nexas, et quidem omnia relata esse ad unam sententiam, quae tamquam argumentum eorum quae sequuntur praemissa est. Ea autem sententia, ex qua ut summa omnium totus sententiarum ordo pendet, qua solo Alcibiadis in Atheniensium partes reditu factum esse dicitur, ut Athenienses post tantas Siculae expeditionis calamitates non statim devincerentur, sed satis multos annos Lacedaemoniis resisterent, non invenitur apud Thucydidem, quamquam compluribus locis ei occasio data erat tale aliquid commemorandi: constat autem Thucydidem nunquam optimum de Alcibiade iudicium facere semperque ei quam minimum meritum tribuere. Multo autem magis ea ipsa, quae de Alcibiadis rebus gestis a Diodoro narrantur, Thucydidi

repugnant. Apud Diodorum enim legimus, cum summo amissae patriae desiderio teneretur, nihil eum antiquius habuisse, quam ut ei aliquid commodi conferret, eamque ob causam eum effecisse, ut classis Persarum, a qua Atheniensibus tum temporis summum periculum imminebat, Lacedaemoniis non mitteretur auxilio. Quae multo aliter tradita sunt a Thucydide. Is enim Alcibiadem minime patriae amantem sed suo solum commodo servientem facit: qui postquam ab Atheniensibus damnatus est, iracundia inflammatus ad Lacedaemonios transiit, inde, cum propter pravitatem et inconstantiam ingenii suspicionem eorum movisset, ob ipsam versutiam et perfidiam a Tissapherne in gratiam receptus apud eum ambigua fide modo Lacedaemoniis modo Atheniensibus se consulere simulavit. Quibus rebus postquam ipse Athenienses in summum periculum iniecit, eo quod falso promisit se auxilium Tissaphernis ad eos collaturum esse, effecit, ut se ab exilio revocarent: deinde cum felici casu accideret, ut Tissaphernes re vera naves illas, quae in Lacedaemoniorum auxilium iam paratae erant, aliis de causis (de quibus Thuc. nihil certi dicit constare) non mitteret, Alcibiades eodem quo Tissaphernes tempore Aspendum profectus cives in opinionem adduxit se ipsum illud a Tissapherne impetrasse. Etiam quod de Theramene Diodorus fecit iudicium differt a Thucydide. Cum enim apud illum Theramenis mores laudibus efferantur et tamquam magnum de patria meritum praedicetur, quod eius potissimum auxilio Alcibiades reditum in patriam nactus esset, Thuc. quamquam sollertem eum fuisse hominem dicit et ambitiosum, tamen quod primo optimatium imperium auctoritate sua adiuverit, postea ambitione ductus in adversariorum partes transierit, graviter vituperat. Quae omnia si consideramus, apparet non posse casu factum esse ut his rebus Diod. a Thuc. differat, sed et singula illa, quae secus narrantur et totum sententiarum ordinem artissime inter se cohaerere easque differentias natas esse ex certa quadam et a Thucydide diversa de Alcibiadis gestis opinione eius, quo Diod. in hoc capite usus est auctore: igitur ubicumque apud ceteros scriptores qui de eisdem rebus tradiderunt, eandem de Alcibiade opinionem eundemque sententiarum ordinem invenerimus, certissimo iudicio licebit affirmare eundem auctorem adhibitum esse.

Jtaque si conferemus Cornelii de his rebus narrationem, quae extat in vitae Alcibiadis cp. 3–5, eam intellegemus in eis quibus Diod. a Thuc. differt, prorsus convenire cum Diodoro, a Thuc. etiam magis discrepare; nec solum in eisdem rebus uberior et perfectior est quam Diod., sed etiam de eis quae antea gesserit Alcibiades nonnulla memoriae prodit, quae et ipsa sententiarum ordine cum eis quae cum Diod. congruunt artissime coniungenda eidemque auctori sine dubio tribuenda sunt.

Corn. igitur postquam c. 3. 4 de initiis belli contra Syracusanos suscepti, de Hermis deiectis, de accusatione Alcibiadi intenta verba fecit, c. 4, 6 hunc tradit ad Lacedaemonios se contulisse et cum eis, ut ipse praedicare consueverit, „non adversus patriam sed adversus inimicos suos bellum gessisse", qui, quoniam se expulso utilissimum reipublicae subsidium detraxissent, simul infensissimi urbis hostes essent. Inde eum Lacedaemoniis tantum commodi contulisse, ut „iam multo superiores bello esse coepissent". Sed cum illi ei propter insignem patriae amorem diffiderent, coactum eum esse ad Tissaphernem transfugere. Inde, quia patriam in summo periculo esse vidit, aliquid commodi ei parare studuit, et cum ipse optimatium partibus faveret, primum cum illis de reditu suo egit, mox ab his destitutus et ad classem Atheniensium a militibus revocatus Samum se contulit, postea, cum suffragante Theramene populi scito restitutus et simul cum illo et Thrasybulo classi praefectus esset, „horum in imperio tantam commutationem rerum factam esse" dicit Cornelius, ut paulo post Lacedaemonii multis cladibus acceptis pacem peterent.

Eadem igitur sententia, quam supra vidimus apud Diod. tamquam argumentum eis quae de ultimis belli Peloponnesiaci annis narrantur praemissam esse, apud Corn prorsus eodem modo adhibetur eique etiam plus momenti affertur altera quadam sententia cum illa artissime coniuncta, quam etiam Diod. leviter tangit. Haec enim apud Corn. summa fere totius narrationis est, Alcibiadis potissimum virtute et ingenio antea Lacedaemoniis maxima belli commoda adlata esse, eundem, cum Atheniensibus auxilio venisset, belli fortunam rursus ad eos convertisse: quo quantopere

hominis praestantia illustretur facile perspicitur. Nec minus conveniunt cum Diod., quae de Alcibiadis in patriam amore et de Theramenis meritis proferuntur a Corn. Jdem praeterea accuratius de aliis rebus loquitur, quae apud Diod. omissae sunt: in quibus omnibus eadem de Alcibiade sententia cernitur, quam et huius relationis propriam esse et a Thuc. multum differre vidimus. Thucydidi enim si credendum est, Alcibiades eo suspicionem apud Lacedaemonios movit, quia perspexerunt eum hominem pravum ac perfidum esse: contra si Cornelio fidem habemus, timuerunt eum, quia intellexerunt fore ut patriae adeo amans homo aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in gratiam rediret. Inde Corn. Alcibiadem facit optimatium fautorem, Thuc. ambiguum et perfidum non solum in Lacedaemoniorum et Atheniensium civitates, sed etiam in optimatium et populi factiones, quos utrosque ab eo deceptos esse tradit.

Praeterea etiam quae inde ab initio tertii capitis a Corn. narrantur, omnibus eis quae ad Alcibiadis ingenium describendum pertinent, aptissime congruunt cum eis quae sequuntur. Alcibiades enim eam ob causam traditur populi in odium venisse, quia ipse ab optimatium parte steterit, eam ob causam in invidiam et suspicionem incidisse, quia moribus et meritis inter omnes cives eminuerit; ad hostes patriae eam ob causam transiisse dicitur, quia per inimicorum dolos prorsus iniuste damnatus sit: ita ut minus ipsi quam inimicis eius qui eum expulerunt culpa eorum quae deinde cum maximo patriae detrimento suscepit attribuatur. Eisdem vitio vertitur, quod Alcibiadem e Sicilia revocatum a bello optima spe incepto decedere coegerint.

Jn singulis factis commemorandis pauca sunt quae cum Thucydide discrepent, velut quod Corn. tradit de Mercurio illo Andocidis frustra quaeras apud Thuc. Quantopere autem Cornelii de Alcibiade iudicium etiam in his differat a Thucydide, ex singulis fere sententiis licet cognoscere. Quamquam enim Thuc. concedit eum rebus bellicis insignem fuisse et magno reipublicae detrimento factum esse, ut ab imperio revocaretur, tamen non prorsus iniuste eum in suspicionem venisse tradit: sumptu enim et summa in Olympiis magnificentia magis tyranni quam civis speciem eum prae se tulisse commemorat; nihil contra dicit de forensi illa opera, quam Corn.

eum tradit praestitisse; nec minus ex oratione illa ostentatione et vana de se praedicatione insigni, quam eum habentem facit l. VI c. 16—18, satis apparet quam male de eo existimet. Contra apud Corn. populus propter falsam in Alcibiadem suspicionem vehementer vituperatur (velut his verbis „aspergebatur enim infamia“ „quam absens invidiae crimine accusaretur“); et paulo post ut eum quam maxime excuset, tradit, cum a civibus e bello revocatus esset, primum quidem oboedienter eum in patriam sequi voluisse, deinde, cum „multa secum reputaret de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles“, in Peloponnesum fugisse. Adduntur etiam in his pauca quae non sunt apud Thucydidem: velut non capitis solum damnatus esse traditur, sed etiam bona eius publicata et Eumolpidas sacerdotes a populo coactos ut eum devoverent; praeterea Thuriis eum primum Elidem, inde Thebas abiisse. Omnia igitur quibus Corn. a Thuc differt, cum illa quam supra de rebus ab Alcibiade gestis exposuimus sententia ita cohaerent, ut dubium non sit quin Diod. c. 37—38, 2 et Corn. c. 3—5 ex eodem auctore sumpta sint, qui et Alcibiadis merita summis laudibus exornasse et Atheniensium reipublicae infensus fuisse videatur.

Jam si transibimus ad Plutarchi vitae Alcibiadis c. 24—26, statim cognoscemus narrationem eius nec congruere cum Diod. vel Corn., et simillimam esse Thucydidi: tamen ne ipso Thuc. eum putemus usum esse eo prohibemur, quod non solum nonnulla tradit, quae non inveniuntur apud Thucydidem, sed ne iudicium quidem eius de eis quae memoriae prodit cum illo prorsus convenit. De Alcibiadis in Agidem inimicitia Thucydides obiter verba facit l. VIII c. 45 neque causam a Plut. commemoratam affert. Desunt praeterea apud Thuc., quae Plut. de auctoritate quam Alcibiades apud Tissaphernem sibi compararit multis verbis explicat. Deinde quae de Phrynicho narrantur, in plerisque prorsus congruunt cum Thuc., discrepant tamen quae commemorantur de Hermone (c. 25 exeunte; Thuc. enim VIII, 92 eadem prorsus non de Hermone, sed de aliquo *τῶν περιπόλων* narrat et paulo post alia tradit de Hermone; in qua re sane potest error Plutarchi latere). In ipso iudicio de his rebus ferendo haec narratio eo a ceteris differre videtur, ut culpa eorum, quae adverse facta essent, neque in unum

Alcibiadem neque in solos inimicos eius transferatur, sed quam maxime inter utrosque distribuatur: quo nascitur iudicium quod medium fere est inter Thuc. et eum auctorem, quem sequuntur Diod. et Corn. Deinde Thucydide auctore Lacedaemonii Alcibiadi insidias parant propter ipsius perfidiam et minore ex parte etiam propter Agidis inimicitiam, Plutarcho auctore partim propter Agidis odium partim propter primorum in eum invidiam. Deinde Alcibiades quod non statim Athenas profectus sit ad ulciscendos inimicos multo magis laudatur quam apud Thuc., praeterea etiam id ei in laude poni videtur, quod Persarum auxilium Lacedaemoniis promissum averterit. (Ex ipsis Plut. verbis non satis apparet, utrum re vera id fecerit an eum fecisse homines existimaverint: sed si non re vera fecit, non satis intellegitur, cur ideo laude dignus videri potuerit, quod Aspendum sit profectus.) Etiam in eis quae initio c. 26 et initio c. 27 de optimatium imperio legimus, Alcibiades magis excusatur quam accusatur; (utroque enim loco non de ipso Alcibiade, sed de amicis eius loquitur Plut.; excusationem haec videntur continere quae leguntur c. 26: *αὔτη γὰρ ἦν πρόφασις .... ἐπεὶ δ' ἴσχυσαν .... ἐλάχιστα τῷ 'Αλκ προσεῖχον ἤδη.*) Quae omnia si consideramus, non ipsum Thucydidem a Plutarcho in his capitibus adhibitum esse verisimile est, sed alterum aliquem auctorem et ab eo quem Diod. et Corn. adhibuerunt diversum, qui cum Thucydidis in plerisque sequeretur auctoritatem, tamen et ipsis rebus et iudicio suo nonnunquam ab eo dissenserit.

Quod ita esse comprobatur collatis eis, quae de eisdem rebus attulit Justinus (V, 1—3); hunc enim cum Plutarcho, non, ut Frickius censet, cum illo quem Diod. et Corn. sequuntur auctore iungendum esse statim intellegemus. Nam quinque illae naves quarum Just. mentionem facit, a Plut. quidem non commemorantur, commemorantur tamen a Thuc. VII, 11, qui quin etiam a Plutarchi auctore adhibitus sit minime dubium est. Deinde principes illi Lacedaemoniorum, de quibus loquitur Just., eidem sunt atque *τῶν ἄλλων Σπαρτιατῶν οἱ δοκιμώτατοι καὶ φιλοτιμότατοι* quos Plut. dicit. Porro cum Plut. congruunt quae Just. de Agidis uxore ab Alcibiade in stuprum illecta tradit. Tum vituperatio illa Alcibiadis laudi admixta (2, § 7. 8) propius accedit ad Plu-

tarchi de his rebus iudicium. Quod enim Alcibiadem apud Just. eodem loco laudari quo apud Diod. et Corn. Frickius pag. 65 dicit, mihi prorsus aliter res se habere videtur; nam Corn. tradit propter praeclarum ingenium in Lacedaemoniorum invidiam eum incidisse, Justinus splendida ipsius indole, qua tamen perfidiam suam et nequitiam vix potuerit dissimulare, deceptum esse Tissaphernem. Jtemque quod Just. Tissaphernem dicit Lacedaemoniis suadente Alcibiade subsidia detraxisse, congruit cum Thuc. et Plut., cum Diod. et Corn. eius rei mentionem non faciant; et quae sequuntur etiam propius quam Plut. verba ad Thuc. accedunt. Praeterea c. 3 Alcibiades graviter vituperatur propter ea quae cum optimatibus egerit: quod et ipsum cum Corn. minime convenit, aptissime cum Plut. et Thuc. Denique quae exeunte capite traduntur de epistula Athenas missa, licet errore nata esse possint, certe magis conveniunt cum Plut. quam cum Cornelio Diodoroque.

Jam apparet etiam Diodori illa c. 34. 36, de quibus supra dictum est, ad hanc relationem, non ad alteram illam referenda esse. Ac fortasse quod c. 34 falso commemoratur de tribus urbibus quae ab Atheniensibus defecerint, errore ortum est ex eo quod Plut. c. 24 tradit de aliis tribus urbibus, quae simul consilium desciscendi ceperint. Quae autem traduntur c. 36, 5, iam cum c. 37 coniungenda esse videntur, quia eo loco trecentarum navium fit mentio, quae in sequentibus capitibus saepius commemorantur: apud Plut. enim non trecentae sed centum et quinquaginta naves fuisse traduntur. Quoniam igitur hoc ipso loco (init. § 6) rerum ordinem perturbatissimum esse iam supra diximus, verisimile est id eo factum esse, quia Diodorus ab altero auctore ad alterum transierit.

Sed ad Plut. ut redeam, c. 23 initium cum insequentibus capitibus videtur esse coniungendum. Nam in his quoque Plut. cum simillimus sit Thucydidi, discrepat nonnullis rebus a Corn. Praeterea Plut. c. 25 cum causas afferat, cur Alcibiades ad Athenienses rursus animum verterit, huius capitis locum videtur spectare, quo *παντάπασι τῆς πατρίδος ἀπεγνωκότα* eum dicit ad Lacedaemonios transiisse. Tum quod Plut. tradit Alcibiadem Argum se contulisse, id neque apud Thuc. neque apud Corn. legitur. Maior

autem huius capitis pars inde a voce Εὐδοκιμῶν ad alium quendam levioris auctoritatis scriptorem referenda esse videtur. Et ea quidem quae de Timaea narrantur ex Duride sumpta esse scimus ex Plut. Ages. c. 3, ubi eadem traduntur addito auctoris nomine; reliqua igitur cur non eidem tribuamus nullam video causam.

Restat ut Diod. Just. Plut relationes de Hermis deiectis et actione Alcibiadi intenta conferamus cum Thuc. et Corn. Diodorus igitur in paucis eis, quae de his rebus tradit, propius accedit ad Thuc. Apud utrumque enim vituperatur temeritas et credulitas, qua volgus in quaestione post Hermas deiectas instituta usum sit, Diod. praeterea exemplum vanarum delationum affert quendam ex accusatoribus dixisse se Alcibiadem luna lucente cognosse, cum tamen luna nova esset (XIII, 2, 3—7). Cum revocaretur ex Sicilia, Diod. Alcibiadem dicit fugisse *εἴτε συνειδότα ἑαυτῷ τὴν ἀσέβειαν εἴτε φοβηθέντα τὸ μέγεθος τοῦ κινδύνου* (XIII, 5, 5), quod minime congruit cum Corn. de his rebus sententia, propius tamen accedit ad medium illud inter Thuc. et Corn. iudicium, quod supra diximus eius auctoris proprium fuisse, quem Plut. c. 24—26 sequitur. Jnde Alcibiadem Diodorus pariter ac Thucydides capitis damnatum esse tradit, ceterorum quae Corn. affert mentionem non facit (XIII, 5, 7). Cum Diod. etiam Justinus congruit cum Alcibiadem dicat fugisse „sive conscientia, sive indignitatem rei non ferentem“ (V, 1, 2).

Multo autem amplius et accuratius quam et a ceteris omnibus et ab ipso Thuc. haec narrantur a Plut. Alc. 18—22, cuius aut quinque capita (18—22) aut certe quattuor (18—21) optime inter se cohaerent et ex uno auctore sumpta esse videntur, qui Thucydidis narratione tamquam fundamento ita usus sit, ut non modo multis eum expleret additamentis, sed etiam ad suam de his rebus sententiam explicandam immutaret et tamquam denuo fingeret. Quae sententia cum prorsus congruat cum ea quam in Corn. (Alc. 3—5) et Diod. (XIII, 36, 5 — 38, 2) narrationibus cerni supra exposuimus, nihil autem ei commune sit aut cum Thucydide aut cum Plutarchi c. 24—26 aut cum eis Diod. et Just. locis, quos ad eundem atque illam auctorem referendos esse supra diximus, non dubium mihi videtur esse, quin Plut. in his capitibus eodem

usus sit auctore quo Corn. c. 3—5. Sane prima quidem specie Plutarchi narratio Cornelio minime simillima est, cum et multa sint apud Plut. quae non inveniantur apud Corn., et nonnulla apud Corn. tradantur quae non extent apud Plut.: tamen neque ullo loco diversa inter se tradunt, et nonnullis, quae a ceteris discrepant, aptissime congruunt.

Sed iam singula perlustremus Jn c. 18 cum alia nonnulla Thucydidis narrationi addita sunt (veluti quod traditur de Adoniis, quod idem narratur a Plut. Nic. 13, ubi fortasse idem auctor adhibitus est), tum quae de variis propter facinus illud scelestum suspicionibus afferuntur, e quibus ni fallor ipsius auctoris sententiam perspicere licet. Videtur enim significare ea quae facta essent aut revera Corinthiis crimini danda esse aut aliquorum ἀκολάστων νέων εἰς ὕβριν ἐκ παιδιᾶς ὑποφερομένων, et stultos fuisse homines, quorum animi propter talem rem tantopere commoti essent. C. 19 iam apertius perspicitur auctoris mens Statim enim ab initio Androcles ὁ δημαγωγός, Alcibiadis ἐν τοῖς μάλιστα inimicus, eum dicitur accusasse, et quae adversarii contra eum machinati sint ita explicantur, ut appareat secundum auctoris sententiam et Alcibiadem prorsus innocentem fuisse et solis eius adversariis culpam attribuendam esse; id quod sub finem capitis praecipue apparet velut his verbis: οὐκ ἐλάνθανεν ἡ κακοήθεια τῆς ἀναβολῆς τὸν Ἀλκ. et porro his: λύσαντι δὲ καὶ φανέντι καθαρῷ τρέπεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους μὴ δεδοικότι τοὺς συκοφάντας: quae aptissime congruunt cum Cornelii de his rebus iudicio, de quo supra dictum est. Ea quoque quae de Argivis et Mantineonsibus adduntur id videntur spectare, ut quantum Alcibiades potuerit eo magis intellegatur. Ex his omnibus pauca commemorat Thucydides, qui cum ne nomen quidem Androclis eo loco afferat ubi de accusatione illa loquitur, obiter eundem commemorat VIII, 65; itemque nihil tradidit de Thessali εἰσαγγελίᾳ. C. 20 quod Rhegium ab Alcibiade captum esse traditur, errore Plut. factum esse videtur. Tum quae de renovatis in eum suspicionibus dicuntur, prorsus eandem sententiam exhibent quam ea de quibus supra diximus. Etiam hoc loco adversariis crimini datur, quod innocentem Alcibiadem

accusarint (velut his verbis ψυχραί τινες ὑποψίαι καὶ διαβολαὶ κατὰ τοῦ Ἀλκ. προσέπιπτον ἀπὸ δούλων καὶ μετοίκων): quod prorsus non convenit cum Diod. et Just., qui utrum Alcibiades in culpa fuerit necne in dubio relinquunt. Atque etiam vanus ille de tyrannide timor apud Plut. eodem modo quo apud Corn. commemoratur, et plerisque locis volgi credulitas et libido gravissimis verbis vituperantur. De eo loco quo ipsius Thucydidis nomen a Plut. affertur postea dicemus. Etiam Plut. deinceps hominis illius mentionem facit, qui lunae lumine Hermocopidarum facies se agnovisse falso dixerit. C. 21 de Andocide accuratiora traduntur, et cum Corn. ad verbum convenit quod de Mercurio illo Andocidis affert; in qua re praecipue hoc memoratu dignum est, quod Corn. Mercurium illum postea Andocidis vocatum esse, Plut. καὶ νῦν eum ita nominari dicit; quod non de Plut. sed de auctoris eius tempore intellegendum esse nemo non concedet. Denique quod sub finem capitis Athenienses dicuntur timuisse, ne seditionem moveret exercitus, non invenitur apud Thucydidem: quae apparet idem spectare atque ea, quae de eisdem iam c. 19 tradita sunt; eoque etiam magis comprobatur haec capita 18—21 artissime inter se cohaerere.

Num ex eodem auctore etiam c. 22 sumptum sit, dubitari saltem potest, quippe in quo nihil insit ex eis quae huius narrationis propria sint. Quod autem Thessali illa εἰσαγγελία, cuius Plut. iam c. 18 mentionem fecit, hoc loco tota profertur, certe non impedit, quominus haec ad eundem auctorem referenda esse existimemus. Etiam iudicium de Alcibiade factum non minus cum Justino quam cum Cornelio congruit; ipsa Justini verba „per omnium sacerdotium religiones“ vix intellegi possunt nisi collatis Plut. verbis ἔτι καταρᾶσθαι προσεψηφίσαντο πάντας ἱερεῖς καὶ ἱερείας. Sed ne ea quidem re cogimur ut alium in hoc capite adhibitum esse auctorem suspicemur, poterat sane hoc iudicium et ab hoc et ab altero illo scriptore afferri. Atque cum initium huius capitis cum superioribus capitibus ipsis sententiis et rebus coniunctum sit, etiam hoc ex eodem fonte manasse veri non videtur dissimile.

Totam autem hanc Plut. narrationem cum constet in plerisque consentire cum Corn., dissentire a Diod. et Just., vix dubium esse

videtur quin ex eodem scriptore sumpta sit, quo Corn. c. 3—5 usus est. Quod quominus sic statuamus non impedimur eo quod Frickius Plutarchi relationem Cornelio non similem esse dicit. Nam duos scriptores etiamsi eodem usi sint auctore, non omnibus locis in singulis simillimos esse, dummodo ne diversa inter se tradant, quid est quod miremur? Plut. autem in hac narratione non solum congruit cum Corn. in nonnullis ad verbum neque usquam ab eo abhorret, sed, quod maximi momenti est, in ipso de rebus iudicio accuratissime cum eo consentit; utrumque enim supra vidimus et Alcibiadem plerumque laudibus efferre et quam maxime excusare et populo Atheniensium totam culpam tribuere: in quibus rebus et Diod. et Just. prorsus ab illis dissentiunt. Apparet igitur Frickium solam eam ob causam Plutarchi narrationem Ephoro (quem a Diod. et Just. adhibitum esse et ille statuit et nos infra demonstrare conabimur) vindicasse, quia Thucydidi in nonnullis simillima est, quem et Frickius et Collmannus existimant ab Ephoro in bello Peloponnesiaco describendo potissimum adhibitum esse. Sed nulla est causa cur non concedatur etiam Theopompum vel alium quemlibet qui de his rebus scriberet multa ex Thucydide sumere potuisse; quod de ipso Theopompo verisimillimum esse infra apparebit. Graviorem tamen dubitationem movet quod Plut. c. 20 Thucydidis nomen affert, quasi eum ipse inspexisset. Equidem, si recte se habet quod infra demonstrare conabor, eum auctorem quem Plut. in his capitibus secutus est, Thucydidis narratione tamquam fundamento usum esse, haud negarim vel ipsum Thucydidis nomen ex illo sumptum esse; certe etiamsi concedimus Plut. ipsum Thuc. adhibuisse, tamen cogimur ut praeter Thuc. altero quodam auctore eum usum esse statuamus; itaque quoniam eorum, quae non possunt ex Thuc. sumpta esse, summa consentit cum Corn., dissentit a ceteris, ea certe non dubito eidem ac Cornelii narrationis auctori tribuere.

Postquam igitur duas relationes repperimus de eis quae pertinent ad res ab Alcibiade gestas inde ab expeditione contra Siciliam suscepta usque ad Alcibiadem in Atheniensium exercitum revocatum, quarum altera extat apud Plut. Alc. 23 in. 24—27, Just. V, 1—3, Diod. XIII, 34, 1—3. 36, 1—4 (cum quibus congruunt quae

ante caput 34 de his rebus a Diod. traduntur), altera apud Corn. Alc. 3—5, Plut. Alc. 18—22, Diod. 36, 5—38, 2, iam, antequam quibus scriptoribus has relationes tribuamus in quaestionem vocemus, restat ut quid de eis sentiam quae supersunt usque ad finem operis Thucydidei exponam. Plut. igitur et Corn. et Just. de eis nihil tradiderunt, Diod. quae refert de pugna apud Cynossema commissa (38, 3—41, 3), Frickius Ephoro tribuit, cuius nomen affert Diod. 41, 3; de qua re nunc quidem non opus est quaerere, quia nihil inest in hac narrationis parte quod spectet ad diversam illam inter se duarum relationum de Alcibiade sententiam. Jnde quae sequuntur c. 41, 4—42, 4 cum c. 37—38, 2 coniungenda esse Frickius recte statuit. Duobus enim locis trecentarum illarum navium mentio fit; et quod Alcibiades dicitur propter triste illud fatum, cum contra patriam pugnare cogeretur, lacrimas profudisse, aptissime cum Corn. et Plut. de eo sententia convenit Jnde Diod. eum tradit ab Atheniensibus omnium quorum accusatus esset criminum absolutum et eam ob causam ducem creatum esse, quia intellegerent si id factum esset fortunam belli ad ipsos reversuram; idque ad illa quae aeque a Diod. c. 37 atque a Corn traduntur spectare apparet. Etiam Theramenes prorsus eodem modo quo c. 37 laudatur et nonnulla quae Alcibiades feliciter gessit adduntur. Quod Pharnabazi nomen et hoc loco et supra c. 36. 37 positum est pro Tissapherne, id errore Diodori factum esse videtur. Totum igitur locum 41, 4—42, 4 cum altera illa relatione, quam idem Diod. sequitur in c. 37—38, 2, coniungendum esse apparet.

II.

Jam videamus, quibus scriptoribus duae illae relationes quas supra commemoravimus tribuendae sint. Diodori de bello Peloponnesiaco narrationem usque ad eum fere locum quo finitur Thucydidis opus viri docti ex Ephoro sumptam esse statuerunt, cuius nomen in prooemio eius afferatur (XII, 41). Quod si recte ita censuerunt, sane verisimile est Ephoro totam

illam narrationem deberi, cuius particula quaedam apud Diod. c. 34. 36 extat et quam supra diximus etiam cum superioribus quibusdam Diodori locis ita convenire, ut ex eodem fonte eam manasse satis probabile sit. Sed de ipsius Diodori de bello Peloponnesiaco narratione ex Ephoro sumpta non satis mihi quidem videtur constare. Quae cum Thucydidi simillima sit et plurimis in rebus ad verbum cum eo congruat, nisi quod pauca quae non extant apud illum addita sunt, Holmius (Geschichte Siciliens vol. II append.) dubitat, num ipse Thucydides a Diod. adhibitus sit. Et hoc quidem negari nequit, non pro certo habendum esse quod Volquardsenus et Collmannus solo Diodoro adhibito[1]) statuerunt Ephorum solum a Diodoro exscriptum esse, illum autem ipsa Thucydidis verba exscripsisse. Quod veri dissimile non esset, si complurium scriptorum de eisdem rebus narrationes eisdem cum Thuc. congruere, eisdem ab eodem discrepare constaret. Sed illius de qua hoc loco agimus relationis partes supra vidimus eam ipsam ob causam inter se coniungendas esse, quia in eis quae dissentiunt et a Thuc. et ab altero illo auctore consentiunt inter se; et quidem ipsa facta pleraque ex Thuc. sumpta sunt additis paucis quae minoris sint momenti, maxime eis quae spectent ad auctoris de his rebus sententiam, qua paulo differt a Thucydide. Quod si recte statuimus, hanc relationem simillimam quidem Thucydidi esse in multis, sua tamen habere

---

[1]) Sane Stedefeldt (de Lysandri Plutarchei fontibus p. 37 sq.) conatus est probare Plut. Ages. c. 3 et 6—20, quae Xenophonti simillima sunt, non ex Xen. ipso sed et ipsa ex Ephoro sumpta esse, qui „magnas operis Xenophontei partes tantum non integras in suum usum convertisset". Sed ne huic quidem assentior. Hoc loco satis erit unum commemorare quod Stedefeldtium videtur fugisse. Cum enim satis multis eius vitae locis Xenophontis nomen ut auctoris sui afferat Plut., unus certe est quo eum ipsum Xen. ante oculos habuisse appareat; c. 34 enim de eadem re varias affert Callisthenis et Xenophontis opiniones (cuius de hac re memoria extat hist. graec. VII, 5, 10), quod non ex Ephoro sumptum esse posse nemo non concedet. Xenophontem igitur ipsum a Plut. in vita Agesilai scribenda adhibitum esse negare non licet.

additamenta et suum certum de rebus iudicium, iam verisimile est Ephoro eam vindicandam esse. Nam neque ulla causa proferri potest cur ad alium quemquam scriptorem eam referamus, et quae huius relationis propria sunt cum eis quae de Ephori scribendi genere constant aptissime conveniunt. In ipsis enim rebus cum cautissimus scriptor Thucydidem ut optimum auctorem plerumque sequeretur, addidit nonnulla quae aliunde cognoverat, nusquam ei prorsus diversa tradidit. Dilucidius etiam in eis quae pertinent ad ipsum de rebus iudicium Ephori agnoscimus ingenium. Cum enim non ut Thucydides eis rebus quas scripsit ipse interfuerit, mitius de plerisque tulit iudicium et merita et culpam quam aequissime inter varias partes distribuit; velut Alcibiadem neque tam perfidum et suarum semper rerum studiosum fecit quam Thucydides neque tam magno animo et paene ab omni vitio vacuum quam altera illa narratio. Quamquam enim quid ius fasque sit eius minime magni interfuisse traditur, tamen eum dummodo vellet potuisse aliquid efficere satis perspicuum est et plura in eo laudantur quam apud Thucydidem. Quibus argumentis, quamquam omnia non tam firma sunt ut nulla relinquatur dubitatio, tamen id mihi videtur comprobari, has variorum scriptorum partes ad unum eundemque auctorem referendas esse, quem esse Ephorum veri saltem simillimum videri nemo non concedet.

Graviores causae sunt ob quas alteram illam relationem Theopompo tribuamus. Primum ne esse quidem videtur alius scriptor praeter Ephorum et Theopompum, ad quem relationem tam ample et accurate scriptam referamus. Deinde, quod Stedefeldt [1]) monuit p. 27, Cornelii vitam Alcibiadis ex Theopompo sumptam esse satis probabile videtur propter eum locum qui est in c. 11; cum enim dicat Thucydidem Timaeum Theopompum bene iudicasse de Alcibiade, apparet unum saltem ex his eum ante oculos habuisse; neque tamen verisimile est eum aut Thucydidem aut Timaeum adhibuisse, sed solum Theopompum. Multo autem firmius argumentum hoc est, quod illa huius relationis de Alcibiade sententia, quae a veritate sine dubio multum discedit cuiusque causa ut intellegatur quaestione

---

[1]) H. Stedefeldt, de Lysandri Plutarchei fontibus, Bonnae 1867.

opus est, ea unde fluxerit luculentissime perspicietur si quae de Theopompi ingenio ac mente tradita sunt accuratius perpenderimus. Quoniam enim auctor huius relationis quicunque fuit a Thucydide, quem tamen ei non ignotum fuisse certum est, ipso de rebus iudicio prorsus discrepat, consentaneum est eum in his rebus scribendis consulto id spectasse, ut certum quoddam suum iudicium eis qui lecturi essent probaret et animos eorum eo adduceret quo ipse studio ac voluntate inclinaret. Neque enim solum valde admiratus est Alcibiadem, sed ut illum facit „populi potentiae non amicum et optimatium fautorem" (Corn. Alc. 5, 3), ipse paucorum potentiae favisse et infensissimo in populum Atheniensem animo fuisse videtur. Quod quo dilucidius perspiciatur ipsi fingamus animis, quem in modum scriptori optimatium studioso et populo Atheniensium inimico ea quae ultimis belli Peloponnesiaci annis acciderunt narranda fuerint, ut legentium animos ad suam sententiam adduceret. Post infelicem igitur Atheniensium in Sicilia eventum probabile erat non multum temporis eos Lacedaemoniis posse resistere; quod tamen aliquot annis restiterunt, id uni Alcibiadi debuerunt. Quoniam igitur is in his rebus narrandis tamquam primas partes sustinuit, aptissime omnia cum scriptoris sententia quadrant, si eum facit et optimatium partibus faventem et summo patriae amore incensum, quamquam acerrimo ingenio perspexerit Lacedaemonios iam multum opibus praevalere, et omnino hominem probo et magno ingenio praeditum, qui sua nunquam spectaverit, sed id solum habuerit in animo, ut patriam ab interitu servaret, quam unus ille potuerit servare; qui tamen ipsa magnitudine sua in invidiam hominum venerit et propter exigua quaedam vitae privatae vitia eorum qui magnum eius animum non cognovissent odium subierit. Quae omnia prorsus consentire cum ea quae per totam hanc relationem perspicitur de Alcibiade sententia nemo non intellegit. Sed etiam magis quam arte illa narratio cum scriptoris animo optimatium potentiae amico cohaereat perspicietur, si alteram tamquam imaginis partem respexeris. Nam postquam Alcibiadem finxit hominem probum et patriae amantissimum, qui omnes intellegentia superaverit et in quo uno patriae salus posita fuerit, apparet adversariis eius, ipsi populo Atheniensium eiusque ducibus omnem culpam calamitatis Athenien-

sium attribui, quod non siverint se ab illo servari et cum magnitudini eius inviderent, non satis ei confisi sed propter exigua illa vitia gravibus accusationibus eum persecuti sint. Postquam vero eo quod propter vanas quasdam suspiciones eum ex Sicilia revocarunt gravissimum rei publicae damnum intulerunt, ipsi Alcibiadi merito ducitur, quod postea reditum sibi in patriam paraverit; quo facto fortunam belli rursus in Atheniensium partes convertit, dum populi stultitia factum est ut iterum reiceretur; ex quo tempore Atheniensium respublica coepit magis magisque ruere in exitium.

Quam accurate cum hac rerum harum imagine conveniant ea omnia quae illius relationis propria sunt, iam facile intellegitur; totam enim illam sententiarum compositionem si spectaverimus, dilucide perspiciemus quo vinculo omnia illa quibus haec relatio ab altera illa et a Thucydide discrepet inter se nexa sint, singularis Alicibiadis laudatio, infensus in populum Atheniensium animus, mirum illud quod et Cornelius et Diodorus tradit Alcibiadem inde ab initio non sui sed patriae causa id egisse ut a civibus suis revocaretur, illa denique sententia quam apud duos illos scriptores vidimus tamquam argumentum eorum quae sequuntur propositum esse. Praeterea autem vel maioris nobis videtur esse momenti, quod verisimillimum est eundem illum sententiarum conexum ut in hac parte ita in omnibus quae secundum eundem auctorem a scriptoribus tradita sunt cerni posse; quae certissima nobis via ac ratio reperta est, qua in variorum scriptorum de eis quae sequuntur narrationibus quae ad eundem auctorem referenda sint cognoscamus: quam quaestionem capite proximo usque ad pugnam apud Aegos flumen commissam perducemus.

Hanc igitur de ultimis belli Peloponnesiaci annis narrationem non posse omnino referri ad ullum auctorem qui post Ephori et Theopompi tempus scripserit, apparet. Nam eo tempore quo factionum certamina apud Athenienses defervescebant et animi a rebus publicis avertebantur, fieri non potuit quin ipsum de his rebus iudicium magis a singulorum ira ac studio solveretur. Ex illis autem duobus scriptoribus alterum, Ephorum, satis constat et iudicio plerumque aequo ac libero usum et omnino minus in publicis rebus versatum, Theopompum contra non solum optimatium studiosum fuisse et ipsi Atheniensium populo inimicum, sed etiam suum

studium suamque voluntatem in eas quas scriberet historias transtulisse, cuius certissimum testimonium est solus ille decimus Philippicorum liber, quo nihil egit nisi ut viros populares Atheniensium perstringeret. Theopompo igitur et hanc relationem et omnia in quibus eadem de his rebus sententia extet tribuenda esse confidenter affirmare licet. Cuius de genere scribendi haec ipsa nobis satis accuratam aperiunt notitiam.

Ceterum si inde ab initio hanc relationem Theopompo tribuissemus, vix intellegi potuisset quamobrem Theopompus in historia Graeca, qua Thucydidis narrationem eum continuasse constat, haec omnia quae iam a Thucydide tradita erant repeteret. Sed postquam de eius consilio in his rebus scribendis certiores facti sumus, facile causa eius rei perspicitur [1]). Nam cum Theopompi iudicium de Alcibiade expulso et revocato a Thucydide prorsus dissentiret, siquidem eos qui lecturi essent in suam de his rebus sententiam volebat adducere, ita Thucydidem excipere non poterat, ut nihil de eis ad illius narrationem adderet, sed opus erat ea saltem quae de ipso Alcibiade ille tradiderat tamquam corrigere et ad suum iudicium accommodare. In quo quia eum ipsum Thucydidem adhibuisse per se veri simillimum est, equidem supra non dubitavi totam Plutarchi narrationem quae est v. Alc. c. 18—22 Theopompo tribuere; etiamsi autem concedamus posse Thucydidis verba ab ipso Plutarcho exscripta esse, pro certo tamen habendum est ea quae Thucydidis narrationi addita sunt et in rebus et in eis quae spectent ad scriptoris iudicium Theopompo deberi.

Neque igitur est cur dubitemus, quin omnia ea quae ad hanc relationem pertinere supra vidimus a Theopompo in prooemio historiae Graecae narrata fuerint; in quod aptissime ea convenire apparet, si ita rem instituisse videbitur, ut sola ea quae spectarent

[1]) Quae causa firmior sane est ea quam Frickius p. 15 contra Collmannum proponit. Sed magis etiam dissentio ab ea sententia quam idem profert p. 59: „Da nun bei Plutarch nur Ephoros, nicht aber Theopompos zu Grunde liegen kann, weil Letzterer die vorkommenden Ereignisse unmöglich so ausführlich in der Einleitung oder einem Excurse seiner Hellenika behandeln konnte“ et quae sequuntur.

ad Alcibiadis fata usque eo ubi Thucydides opus suum finivit repeteret et inde ad ea quae sequuntur narranda transiret. Ex quibus quae reliqua sint iam nobis est quaerendum.

III.

In anonymi *Θουκυδίδου βίῳ* § 5 earum belli Peloponnesiaci pugnarum quae non iam a Thucydide sed a Xenophonte et Theopompo narratae esse traduntur prima appellatur *ἡ δευτέρα ναυμαχία ἡ περὶ Κυνὸς σῆμα ἣν Θεόπομπος εἶπεν.* Quam pugnam, cum apud Xenophontem ex Abydo oppido nomen ceperit, satis verisimile est a Theopompo coniunctam cum priore illa pugna apud Cynossema commissa, quae etiam a Thucydide narratur, traditam fuisse. Quam ob causam iam Muellerus (fr. hist. gr. vol. I prooemio p. LXVII) coniecit prioris illius pugnae narrationem a Thucydide discrepantem quae extat apud Diodorum XIII,38, 3– 41, 3 ex Theopompo haustam esse. Frickius tamen eam Ephoro tribuit propter nomen eius c. 41, 3 commemoratum et ordinem rerum hac narratione interruptum. Primum igitur quod Ephorus nuncupatur, eo etiamsi comprobatur Diodorum hoc loco Ephorum inspexisse, tamen non sequitur ut totam hanc narrationem ex eo sumpserit. Potest enim ita se res habere, ut aut illud quod c. 41 proditur factum aut solum inscriptionis testimonium ad Ephorum referendum sit. Accedit quod veteres scriptores plerumque auctorum nomina non afferunt nisi eis locis, ubi aut ab altero ad alterum transgrediuntur aut alterius narrationi singula quaedam ex altera sumpta addunt, id quod hoc loco factum esse puto. Tum cur rerum ordo paulum mutatus sit, nescio an ex ipso Theopompi consilio intellegi possit. Cum enim de ultimis eis quae Alcibiade non iam adiuvante facta sunt prius referret quam de eius ad classem Atheniensium reditu, id consecutus est, ut inde ab hoc loco quae ad res ab Alcibiade praeclare gestas spectarent uno tenore posset narrare; quod quanto praestet ad ipsa illa facta magis conspicua reddenda facile perspicitur. Sed certissimae supersunt causae cur hanc narrationem Theopompo deberi existimemus. Primum

enim quaedam in ea insunt quibus artissime cohaereat cum eis Diodori locis quos ex Theopompo sumptos esse cum Frickio consentio. Velut c. 38, 4. 5 commemorantur trecentae illae naves quas Mindarus a Tissapherne (pro quo etiam hoc loco per errorem affertur Pharnabazus) expectavit; de quo numero supra diximus Theopompum dissentire ab Ephoro et Thucydide; tum c 41, 4. 5 Atheniensium qui Sami fuerint eisdem verbis mentio inicitur quibus c. 38, 4. 5. Praeterea, id quod maioris momenti est, haec narratio miram exhibet similitudinem cum altera illa pugna narrata a Diodoro c. 45, 46, quam ex Theopompo manasse ipso illo vitae Thucydidis loco comprobatur. Cum enim et Xenophon et Plutarchus huic pugnae nomen indant ab Abydo urbe, teste Diodoro is locus quo proelium factum est aliquantum distat ab Abydo, et c. 47 traditur tropaeum eius victoriae positum esse πρὸς τῷ προτέρῳ, quod Thucydides VIII, 106 memorat fuisse in ea rupe cui nomen erat Cynossemati. Sane Diodorus 40, 6 affert rupem in qua fuerit τὸ τῆς Ἑκάβης μνημεῖον, quam tamen eandem esse Strabo memoriae prodit [1]).

Duarum igitur illarum pugnarum descriptiones tam similes inter se sunt, ut ad eundem auctorem certo referendae sint. Ac primum quidem in utraque eaedem duarum classium partes commemorantur; in utraque enim Lacedaemoniorum classis alteram partem naves Syracusanae, alteram reliquae duce Mindaro, Atheniensium alteram Thrasybulus alteram Thrasyllus habuisse dicuntur; et quidem de priore pugna Thucydides diversa prodidit, de altera quae legimus apud Diodorum, ea non inveniuntur apud Xenophontem.

---

[1]) VII. fr. 55 Ἔστι δ' ἐν τῷ περίπλῳ τούτῳ τῷ μετὰ Ἐλεοῦντα ἡ εἰςβολὴ πρῶτον ἡ εἰς τὴν Προποντίδα διὰ τῶν στενῶν, ἥν φασιν ἀρχὴν εἶναι τῆς Ἑλλησπόντου. ἐνταῦθα δ' ἐστὶ τὸ Κυνὸς σῆμα ἄκρα, οἱ δ' Ἑκάβης φασί. καὶ γὰρ δείκνυται κάμψαντι τὴν ἄκραν τάφος αὐτῆς. XIII, 28 μεταξύ τε ὁ Ῥόδιος ἐκπίπτει ποταμός, καθ' ὃν ἐν τῇ Χερρονήσῳ τὸ Κυνὸς σῆμά ἐστιν, ὅ φασιν Ἑκάβης εἶναι τάφος. In quo loco ipsi Straboni hunc de quo agimus Theopompi locum ante oculos versatum esse probabile est; ad eundem enim locum pertinere veri simillimum est quod idem Strabo Theopompi nomine allato tradit de Sesto XIII, 22, quod ad initium historiae Graecae referendum esse etiam Muellerus statuit.

Deinde numeri navium in utraque narratione inter se consentiunt; c. 38, 5 enim Dorieus traditur tredecim navibus praefuisse (cum quattuordecim commemoret Xenophon), qui idem numerus efficitur, si Mindari navium numeros qui afferuntur c. 45, 6 et c. 45, 7 inter se comparaveris; altero enim loco dicuntur 84 fuisse, altero, postquam Doriei naves additae sunt, 97. Tum quod maxime mirum sane esset ni duae illae narrationes ad eundem scriptorem referendae essent, simillima inter se in utraque pugna narrantur nautarum artificia, de quibus neque Thucydides in altera neque in altera Xenophon quidquam memoriae prodiderunt. Cum enim prioris pugnae eventus a Thucydide in prorsus aliis rebus positus fuisse tradatur, de altera Xenophon paucissima proferat, Diodorus utroque loco nautarum quaedam strategemata multis verbis exponit, ex quibus pugnae exitus pependerit. Praeterea prior pugna teste Diodoro decernitur inexpectato quinque et viginti navium adventu; de quo cum nihil tradat Thucydides, qui rem tanti momenti si recte se haberet non omisisset, hoc ad alterius pugnae similitudinem effictum esse suspicor, quae et ipsa postquam diu anceps fuit inopinato Alcibiadis adventu ad finem perducta esse traditur. In hac altera pugna Diodorus eo quoque discrepat cum Xenophonte, quod, quo tempore Alcibiadis naves sub aspectum venerint, et Athenienses et Lacedaemonios tradit sibi auxilium fore sperasse eamque ob rem maiore etiam contentione pugnatum esse, dum insigni purpureo ab Alcibiade proposito Athenienses eum agnovissent, Lacedaemonii post spem redintegratam destituti retro cedere coepissent. Similia saepius apud Theopompum in pugnis describendis occurrunt, quibus id videtur spectasse, ut legentium animos et delectaret et expectatione eorum quae narraturus esset teneret. Etiam accuratissima illa locorum naturae cognitio scribendi genus Theopompi significat harum rerum peritissimi, quem diu peregrinatum esse et plurima loca ipsum vidisse constet. Multa quoque ex eis quibus a Thucydidis vel Xenophontis narratione differt, eum ipsis illis locis ubi facta erant comperisse verisimile est; tamen illorum libris eum in singulis usum esse eo comprobatur, quod nonnullis locis Diodori narratio ad verbum cum eis congruit. Velut quae Diod. 40, 5 commemorat de navibus Lacedaemoniorum ab Atheniensibus captis prorsus

consentiunt cum Thuc. VIII, 106, in quarum numero quae desunt apud Diodorum nescio an eadem neglegentia exciderint, cui id quoque tribuerim, quod teste Diodoro non quindecim sed quinque naves ab Atheniensibus amissae sunt. Itemque in altera pugna describenda cum Xenophontis verbis I, 1, 13 *ἐμάχοντο ἀπό τε τῶν νεῶν καὶ τῆς γῆς* Diodorus consentit, cum tradat 45, 4 *καὶ τῶν στρατιωτῶν οὓς μὲν ἐπὶ τὰς πρῴρας ἐπέστησεν, οὓς δ' ἐπὶ τῆς γῆς εὐκαίρως ἔταξεν*, quod eo maioris momenti est, quia in ceteris Diodori narratio multum discrepat a Xenophonte.

Deinde quod additur c. 46, 6 de Pharnabazo (quem pro Tissapherne positum esse a Diodoro supra dixi), cum eis quae antea c. 37. 38 secundum Theopompum narrata sunt consentire apparet. Tradit enim Pharnabazum propter trecentas illas naves auxilio non missas apud Lacedaemonios excusasse, quod propter motum ab Arabiae et Aegypti regibus excitatum eas domum dimisisset. Sapiunt haec Theopompi opinionem dissentientem de his rebus a Thucydide; is enim tradidit Tissaphernem ignotis de causis naves illas non misisse, Alcibiadem autem simulasse se id effecisse (VIII, 87. 88), Theopompus contra, Alcibiadem re vera effecisse ut naves Lacedaemoniis auxilio non mitterentur, Tissaphernem autem postea apud Lacedaemonios excusasse quod propter tumultus illos eis sibi opus fuisset. Ceterum etiam Thuc. VIII, 109 refert Tissaphernem quod naves non misisset excusasse apud Lacedaemonios.

Ea deinceps quae Diodorus memoriae prodidit de Euripo a Boeotis obruto (c. 47, 3—5), ex Theopompo pendere inde concluseris, quod quam accuratissime explanantur quae spectant ad locorum naturam.

§ 6—8 Diodorus nonnulla de rebus a Theramene gestis tradit quae frustra quaeras apud Xenophontem, qui primum c. 1, 12 eius mentionem facit. Diodorum etiam in his Theopompum sequi inde apparet, quod pariter atque supra (c. 42, 3) Alcibiadem, hoc loco Theramenem laudat, quia magna praeda facta cives quantum posset belli onere liberare studuerit.

Etiam quae de tumultu in Corcyra orto narrantur c. 48 ab aliis scriptoribus tradita non sunt; quae quin ex eodem auctore

sumpta sint non est cur dubitemus, quamquam Theopompi erga optimates studium in hoc capite non cernitur.

c. 49 Diodorus redit ad bellum in Hellesponto gestum ita narrandum, ut artissime haec cohaereant cum eis quae superioribus capitibus de eo relata sunt. In his quae de ducibus classis Atheniensium dicuntur, paulum differunt a Xenophonte. Apud Diodorum enim hoc loco duces appellantur Thrasybulus Alcibiades Theramenes, quos eosdem nuncupat Cornelius Alc. 5, 4, quem ex eodem fonte hausisse supra diximus (paulo minus accurate Diodorus eandem rem tradit c. 37); Xenophon Alcibiadem c. 4, 10 tradit etiamtum exulem ducem factum esse cum Thrasybulo et Conone, ita ut eius sententia ante hoc tempus ab exercitu quidem pro duce habitus esse, a civibus tamen non electus esse videatur. Praeterea cum teste Xenophonte Theramenes tum temporis omnino non dux fuisse sed inferiorem locum tenuisse videatur, duces soli restant Thrasybulus et Thrasyllus qui eidem fuerant ante Alcibiadis reditum. Thucydides et ipse de Theramene duce facto ab Atheniensibus nihil commemorat, tamen de Alcibiade dissentit a Xenophonte; eum enim ubi (VIII, 97) a civibus post liberatam ab optimatium imperio rempublicam in patriam restitutum tradit, *καὶ παρά τε ἐκεῖνον*, inquit, *καὶ παρὰ τὸ ἐν Σάμῳ στρατόπεδον πέμψαντες διεκελεύοντο καθάπτεσθαι τῶν πραγμάτων.*

De Alcibiade a Tissapherne capto is quem Diodorus sequitur auctor videtur tacuisse; dicit enim eum a Lesbo (non Clazomenis, quo eum Xenophon confugisse prodit c. 1, 11) arcessitum esse. Deinde Cyzicum, quam paulo ante ab Atheniensibus recuperatam tradit Thucydides VIII, 107, a Mindaro captam esse commemorat Diodorus, quam eum capere in animo habuisse iam c. 47, 2 dixit; quod quamquam apud Xenophontem omissum est, tamen neglegentia omissum esse inde colligi potest, quod postquam Lacedaemonii ex urbe cesserunt, Athenienses statim in eam admissos esse tradit c. 1, 19.

De pugna Cyzicena quam longe inter se distent Xenophon et Diodorus (Xen. I, 1, 14—18. Diod. XIII, 50. 51), cum alii exposuerunt tum Breitenbachius (mus. Rhen. vol. XXII p. 500 sq.). Cui in eo non adsentio quod ea quae de hac pugna Diodorus refert inter se non satis dicit convenire. Cum enim cetera omnia satis

distincte et dilucide narrata sint, hoc unum mirum est, quod Mindarus, dum pugnat cum Alcibiade, non animadvertisse traditur se a ceteris Atheniensium navibus circumveniri; sed fieri sane potuit, ut eius rei aliqua causa ab auctore Diodori addita ab illo omitteretur. Ceterum narratio satis speciosa est et, cum legentium animos summopere teneat, illis de quibus supra egimus pugnarum descriptionibus etiam praestat. Id imprimis huius auctoris proprium videtur fuisse, ut singulorum virorum de quibus ageret ingenia et naturam inter se sedulo distingueret et quod maxime ad propriam cuiusque animi indolem conveniret, id ei tribueret agendum; velut hoc loco Alcibiadem facit audacia et dolo pugnam ineuntem, Thrasybulum constantia ac fortitudine summum laborem sustinentem, Theramenem fortuna et secundo suo adventu proelium facile decernentem; itemque in morte Mindari describenda quam maxime potuit conspicuam reddidit Spartiatae fortitudinem. In quibus Theopompi ingenium cognoscendum esse infra dilucidius intellegetur.

Sequitur c. 52. 53 narratio de Endii legatione, in qua Theopompi mens populo Atheniensium inimica manifestissime cernitur. Apparet enim cum Theopompi sententia ita rem optime convenire, si traderet Athenienses, postquam praeclaris illis Alcibiadis victoriis ex summo periculo liberati essent, suae saluti optime consulturos fuisse, si cum Lacedaemoniis pacem fecissent; quod si fecissent, futurum non fuisse ut prosperum harum victoriarum eventum perderent et in summas calamitates irruerent. Quae sententia revera ex Diodori narratione cognosci potest; Endii enim oratio (cuius adstricta brevitate auctor Laconicum illud quod fertur dicendi genus imitatus esse videtur) cum hac sententia apte quadrat. Qua suam ipsius opinionem se exposuisse auctor eis quae de eventu eius orationis addit patefecit; nam c. 53 *οἱ μὲν ἐπιεικέστατοι τῶν Ἀθηναίων* traduntur quod ille suasisset accipere voluisse, *οἱ δὲ πολεμοποιεῖν εἰωθότες καὶ τὰς δημοσίας ταραχὰς ἰδίας ποιούμενοι προσόδους ᾑροῦντο τὸν πόλεμον.* In quibus etiam Cleophon demagogus fuit, qui civibus tamquam ante oculos proposuit, quantum tunc opibus valerent (‚quasi vero fortuna non possit repente inclinari!' addit Theopompus); a quo commoti et summa spe vel principatus in Graecia recuperandi occaecati illi quae a legatis proposita erant

repudiarunt: cuius rei postea eos paenituit; nam blandis orationibus decepti et in calamitates delati nunquam se erexerunt. Haec quantopere congruant cum Theopompi quam supra commemoravimus sententia non opus est pluribus exponere. Quae quatenus cum vero conveniat vix satis clare potest djiudicari (Philoch. fr. 117. 118 Muell. tradit Lacedaemonios pacem petivisse, Athenienses autem ἀπιστήσαντας non probasse, et Cleophontem quominus acciperent prohibuisse). Grotius (hist. Gr. vol. VIII p. 166) ut solet populum Atheniensium a Diodori vituperationibus defendit; quod eo magis eum puto facturum fuisse si cognosset quantopore hoc loco interfuisset eius quem Diodorus secutus est auctoris „to be wise after the fact and to repeat the stock of denunciations against an insane people misled by a corrupt demagogue."

Jam comparanda cum his sunt quae Plutarchus de eisdem rebus narrat. Js enim c. 27 primum commemorat Alcibiadem in Cnidiorum et Coorum mare profectum esse; quod Thucydides tradit VIII, c. 108. Deinde in pugna Abydena describenda Plutarcho convenit plerumque cum Xenophonte, unum tamen additum est Diodoro simile, quamquam non prorsus idem. Tradit enim Alcibiadis adventu prorsus contrarium ei quod voluisset effectum esse: nam et Peloponnesios animum recepisse et Athenienses perturbatos esse, dum signo ab Alcibiade proposito cognossent sibi auxilium venire. Accuratissime cum Xenophonte conveniunt quae narrantur a Plutarcho de Alcibiade a Tissapherne capto; unum quod additum est de Tissapherne (πάλαι κακῶς ἀκούων ὁ Τισσ. . . . . ἐκ βασιλέως) ad ea spectat quae superiore capite exeunte tradita sunt. In pugnae Cyzicenae descriptione (c. 28) cum cetera ad verbum fere congruant cum Xenophonte, dolus ille Alcibiadis similiter atque apud Diodorum describitur. Alcibiades enim quadraginta navibus praevectus hostem procul a portu fertur elicuisse, qui hac ratione dum proelium cum illo init a ceteris Atheniensium navibus circumventus esse dicitur. Item cum Diodoro congruit quod Pharnabazus traditur auxilio venisse Mindaro. Quamobrem Hug (Jenaer Lit. Ztg. 1874. Nr. 41) et Büchsenschütz (Fleckeisen's Jahrbücher, 103, p. 218. 105, p. 727) statuunt Plutarchum narrationem suam conglutinasse ex

Xenophonte et eodem fonte quem Diodorus adhibuerit, eo maxime usi argumento, quod ea quae a Plutarcho narrata sint inter se non satis conveniant. Mihi tamen neque hoc neque eo quod antecedit capite ea quae Diodoro similia sunt a ceteris prorsus dissentire videntur, quamquam in pugna Cyzicena nonnulla fortasse a Plutarcho omissa sunt, qua re aliqua nascitur obscuritas. Velut unum illud quod non satis recte se habere apud Diodorum supra diximus, quod Mindarus dum cum Alcibiade pugnat non animadvertisse traditur se a ceteris Atheniensium navibus circumveniri, id rectissime se habet apud Plutarchum: nam dum nebulae illae quarum Plutarchus mentionem facit dispellebantur, facile potuit fieri ut hostis Alcibiadis quidem naves aliquantum praevectas conspiceret, illas quae paulo longius aberant non conspiceret. Tum quod Mindari post translatam demum pugnam in terram mentio inicitur, neglegentia Plutarchi factum esse potest. In eo autem Breitenbachio l. s. c. adstipulor, quod nonnulla censet inesse in Plutarchi narratione, quae neque cum Xenophonte neque cum Diodoro satis accurate congruant; igitur quamquam per se nihil obstat quominus Xenophontem ipsum a Plutarcho adhibitum putemus, tamen Ephorum eum in his capitibus secutum esse veri similius est, cum praesertim quam arte ea coniuncta sint cum superioribus capitibus supra demonstratum sit, quibus etiam ipso scribendi genere simillima sunt; ut enim in illis Thucydidem, ita in his Xenophontem potissimum auctorem secutus est, nisi quod nonnulla aliunde cognita addidit. Ea autem quae Diodoro similia sunt ex altera quadam harum rerum memoria, quam praeter Xenophontem et Ephorus et Theopompus secuti sint, nata esse eam ob causam vix quisquam crediderit Breitenbachio, quia ipsa Plutarchi verba interdum congruunt cum Diodoro (velut in pugna Abydena Diod. XIII, 46, 3. Plut. Alc. 27, in Cyzicena Diod. 50, 1 *βουλόμενος προκαλέσασθαι τοὺς Λακεδαιμονίους* Plut. c. 28 *καὶ προὐκαλεῖτο τοὺς πολεμίους* Diod. *κατεφρόνησε* Plut. *καταφρονήσαντες*). Itaque negari vix potest praeter Ephorum etiam Theopompum a Plutarcho adhibitum esse in his capitibus eumque ex utroque suam narrationem ita concinnasse, ut in alterum nonnulla ex altero sumpta insereret.

Diodorus c. 64 continuat quae c. 52 narrare inceperat;

utroque loco non quinquaginta (ut apud Xenophontem I, 1, 34) sed triginta naves Thrasyllo fuisse traduntur; in reliquis quae de pugna apud Ephesum facta narrantur, congruit cum Xenophonte (I, 2, 7—9; velut Diodorus commemorat quadringentos ex Atheniensibus periisse, Xenophon I, 2, 9 centum altero loco, altero trecentos). Plutarchus c. 29 τὸ χαλκοῦν τρόπαιον quod Ephesii de hac victoria posuerint ita prodit tamquam is auctor quem sequitur (Ephorum dico) ipse id vidisset.

De Chrysopoli ab Atheniensibus praesidio munita Diodoro c. 64, 2 convenit cum Xenophonte I, 1, 22, quamquam solum Theramenem ducem fuisse eumque quinquaginta navibus praefuisse auctor est, ut simul Byzantii et Chalcedonis obsidionem susciperet; simul Thrasybulum urbibus Thraciae (Perinthum et Selybriam nominat Xenophon I, 1, 21) bellum intulisse, Alcibiadem cum Thrasyllo in Pharnabazi satrapiam incursionem fecisse: quae cohaerere cum Theopompi de ducibus Atheniensium sententia diversa illa a Xenophonte apparet. De contentione inter Alcibiadis et Thrasylli milites facta quae narrat Xenophon I, 2, 15—17, ea non inveniuntur apud Diodorum, prorsus eadem autem tradit Plutarchus c. 29, ubi quod solum additum est sacerdotes quosdam captos ab Alcibiade sine pretio dimissos esse, id ex inferiore aliquo scriptore Plutarchus videtur sumpsisse. Ceterum in his omnibus Diodorum ad verbum aliquotiens congruere cum Xenophonte moneo; quo comprobatur, quod per se veri simillimum est, etiam a Theopompo Xenophontis librum adhibitum esse.

De Pylo a Lacedaemoniis capta quae tradit Diodorus c. 64, 5—7, ea non discrepant cum Xenophonte 2, 18, apud quem tamen desunt quae de auxilio Anyti et de eius accusatione adduntur. Tacet Xenophon etiam de Nisaea a Megarensibus capta (Diod. c. 65, 1. 2); Cratesippidam nauarchum factum esse iam c. 1, 32 narravit. Sequuntur apud Diodorum (c. 65, 3. 4) quaedam de motibus Chii ortis, quae et ipsa non leguntur apud Xenophontem; in quibus Theopompi de patria sua memoriam extare apparet.

In Chalcedonis obsessione describenda Diodorus c. 66 cum ad verbum nonnunquam congruat cum Xenophonte I, 3, 2—8, omisit quae ille tradit de Pharnabazi auxilio. Plutarchus c. 29. 30 in eis quae desunt apud Diodorum congruit cum Xeno-

phonte. Selybriae ab Atheniensibus captae Xenophon I, 3, 10 mentionem quidem fecit, nihil tamen accuratius memoriae prodidit. Pluribus de hac re et Plutarchus c. 30 et Diodorus c. 66, 4 egerunt, et Plutarchi quidem narratio, quae amplior est, tam apte convenit cum paucis illis quae apud Diodorum extant, ut etiam hoc loco Theopompum praeter Ephorum a Plutarcho adhibitum esse verisimile sit. Cui opinioni id potissimum velificatur, quod Alcibiadis praecipue facta ornantur; Theopompo igitur quae leguntur a vocibus *ἀφειδήσας ἑαυτὸν* usque ad finem capitis tribuerim, cum praesertim haec capitis pars a ceteris facillime secernatur. Deinde et Xenophon I, 3, 9 et Plutarchus c. 31 indutias ab eis Atheniensium ducibus, qui ad Chalcedonem remanserant (pro quibus Diodorus Theramenis nomen affert), cum Pharnabazo factas esse tradunt. In quibus id mihi accuratius apud Xenophontem traditum videtur, statutum esse Athenienses *τὴν Φαρναβάζου χώραν μὴ ἀδικεῖν*, pro quo Xenophon habet *Ἀθηναίους δὲ μὴ πολεμεῖν Καλχηδονίοις*, quod sanum sensum non praebet; videtur igitur pro *Καλχηδονίοις* legendum esse *Φαρναβάζῳ*.

In Byzantii obsessione describenda Diodorus c. 66. 67 multum discrepat cum Xenophonte, Plutarchus c. 31 cum utroque in nonnullis convenit, et hoc quidem loco ipsa ea quae ab eo traduntur non satis arte inter se cohaerent. Ea enim quae de urbe per dolum ab Alcibiade capta tradit, prorsus consentiunt cum Diodoro; nonnulla quae eius narrationi adiecta sunt, ex eodem auctore sumpta esse videntur, velut quod Alcibiades alteri, Theramenes alteri exercitus parti praefuisse dicitur. Errore factum esse potest, quod teste Plutarcho trecenti, teste Diodoro quingenti capti sunt. Deinde autem quae sequuntur de proditoribus postea accusatis (*Διὸ καὶ δίκην κτλ.*), quae minime apte cum eis quae antecedunt conexa sunt, accurate congruunt cum Xenophonte. Praeterea cum haec narratio simillima sit eis quae superiore capite de Selybria capta tradita sunt, utramque narrationem ad eundem auctorem referendam esse facile est ad intellegendum.

Itaque quin Plutarchus c. 27—31 Ephorum in pleris-

que adhibuerit, nonnullla tamen ex Theopompo deprompta eius narrationi addiderit, equidem non dubito. Apud Diodorum autem usque ad hunc locum Theopompi relationem extare certissimum est. Quae enim tradit de rebus ab Alcibiade gestis usque ad reditum eius in urbem ex uno scriptore sumpta esse et eis rebus comprobatur quae per totam hanc narrationem differunt a Xenophonte (velut quod de ducibus Atheniensium diverse tradidit Diodorus), et magna illa in pugnis et obsidionibus describendis similitudine; quem scriptorem Theopompum esse cum inde colligi potest, quod res ab Alcibiade et a Theramene gestae constanter praecipue ornantur, tum ex illa de Endii legatione memoria, in qua ea quam superiore capite Theopompi propriam esse vidimus de his rebus sententia apertissime cernitur. Illius autem sententiarum conexus finis et tamquam culmen quo omnia spectent ea quae iam sequitur narratio de Alcibiadis in urbem reditu est; de qua re cum ampliores auctorum relationes servatae sint, Theopompi studium et opinio rursus liquido perspicitur.

Cornelii narrationem (Alc. 5, 5 –7, 1) cum Theopompi illa quae apud Diodorum extat coniungendam esse ipsa ea pauca demonstrant, quae de rebus gestis ab Alcibiadis ad exercitum reditu usque ad eiusdem in urbem reditum praemissa sunt. Commemorat enim Lacedaemonios pacem petivisse, id quod neque Xenophon neque Plutarchus memoriae prodidit. Deinde similiter atque apud Diodorum maximi momenti fuisse traditur, quod Byzantium ceperint Athenienses; etiam quod ea qua Alcibiades in victos usus sit clementia laudibus effertur, id ad ea videtur spectare quae de Selybria et Byzantio tradita sunt a Diodoro et Plutarcho. In reditu eius in urbem describendo Cornelius multum discrepat a Xenophonte. Is enim (I, 4, 8 sq.) tradit, postquam Thrasyllus classem victricem Athenas duxisset, Alcibiadem non amplius viginti navibus in portum venisse *ἔχοντα τὰ χρήματα*, sollicitumque fuisse, ne populus sibi non satis faveret, neque prius quam amicos suos in multitudine animadvertisset ausum esse in terram exire *μετὰ τῶν παρεσκευασμένων εἴ τις ἅπτοιτο μὴ ἐπιτρέπειν.* Contra teste Cornelio advenit ingenti praeda oneratus simul cum ducentis navibus;

nihil igitur ille tradit de metu eius, quem ex vitiorum suorum conscientia derivasse Xenophontem apparet. Tum Xenophon eum, cum in contione de rebus a se gestis se defenderet, finxisse tradit se ab inimicis per dolum ac fraudem ex urbe eiectum eaque re coactum esse perpetuo cum periculo hostibus servire; neque quemquam ausum esse eius verbis obloqui, quia vulgus non sivisset. Prorsus aliter Cornelius eandem rem descripsit; cuius narrationis haec summa est, ipsi populo Atheniensium persuasum fuisse omnes prosperos eventus et pristinos et novos illi deberi, omnes calamitates, amissam Siciliam, victorias a Lacedaemoniis reportatas, ipsorum culpa accidisse, qui eum expulissent; itaque cum Xenophon solum propter caecum plebis furorem neminem Alcibiadis defensioni obloqui ausum esse tradat (unde apparet eum id ipsum voluisse significare iustam causam tamen datam fuisse obloquendi), Cornelius non sine causa eos id arbitratos esse profitetur; nam postquam exercitui praeesse coepisset, neque terra neque mari hostes pares esse potuisse. Quamobrem ad eum solum homines se convertisse, quamquam etiam Theramenes et Thrasybulus (qui teste Theopompo, non teste Xenophonte cum eo duces facti erant) venissent in Piraeum. In quibus Xenophon etiam eo distat a Cornelio, quod Thrasybulum tum Thasi fuisse (I, 4, 9) et postea ab Hellesponto Phocaeam Alcibiadi auxilio venisse (I, 5, 11) tradit. Deinde Cornelius plebem eum prosecutam esse et coronis laureis taeniisque donasse auctor est; quod autem addit Alcibiadem lacrimantem tantam civium suorum benevolentiam accepisse memorem pristini temporis acerbitatis qua contra patriam pugnare coactus esset, aptissime quadrat in Theopompi sententiam. Deinde quod in contione eum sic verba fecisse vult, „ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casu illacrimarit inimicumque iis se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat, proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset,“ apparet illos, quorum opera patria pulsus fuisset, ipsos esse demagogos illos a quibus decepti cives eum in exilium misisse traduntur a Theopompo. Illi igitur et ipse populus Atheniensium his verbis vehementissime accusantur, Alcibiades contra omni culpa vacare videtur. In eis quae sequuntur de bonis publice ei restitutis et de devotione eius irrita

facta nihil tradidit Xenophon. Deinde secundum Cornelium Alcibiadi tota domi bellique potentia tradita est eoque postulante duces cum eo facti sunt Thrasybulus et Adimantus; pro quibus Aristocratem et Adimantum appellat Xenophon.

Hanc memoriam non solum consentire cum Theopompi de Alcibiade sententia, sed totius illius quem supra commemoravimus sententiarum conexus caput et consilii eius finem esse apparet. Et profecto ad sententiam suam omnia tam ingeniose adaptavit, ut qui hanc solam de his rebus narrationem legeret, vix facere posset quin Alcibiadem innocentem et hominem probum bonumque fuisse sibi persuaderet, in vulgus autem Atheniensium et demagogos summo incenderetur odio; omnia enim quoniam aptissime inter se congruunt, videntur cum vero congruere. Tamen simulatque simplicem Xenophontis narrationem contuleris, rem prorsus aliter se habuisse apparet; quem etsi verisimile est ne ipsum quidem omni studio atque ira liberum fuisse, tamen eam ob causam magis ei credendum est, quia non consulto singula quae proderet ad suam opinionem accommodasse et commutasse, sed plerumque solas res gestas quam verissime posset videtur rettulisse.

Nec minus aperte Theopompi vestigia deprehenduntur in D i o d o r i narratione (c. 68—69, 4), quae cum Cornelio consentit, nisi quod in nonnullis ordo rerum paulum mutatus, nonnulla addita, nonnulla omissa sunt; in quibus rebus saepissime differunt inter se complurium scriptorum narrationes ex eodem fonte haustae. Diodorus accuratiora tradit de hominum multitudine, quae convenerit in Piraeum: feminas infantes, liberos servos concurrisse, multos etiam ex peregrinis; Alcibiadem enim cum ducentis navibus bello captis magnaque captivorum et praedae multitudine advenisse; ipsorum classem armis et omni genere spoliorum ornatam fuisse; plerosque autem venisse ad ipsum Alcibiadem spectandum. Sequuntur quaedam similia Cornelio de commutato Atheniensium in illum animo; admiratos enim eum esse et primores, qui existimassent eius auxilio vulgi superbiam domari posse, et plebem, quae sperasset fore ut ille secum rempublicam perverteret et egestatem suam levaret; in quo Theopompi studium erga optimates et inimicitia in populum aperte cernuntur: apparet enim bonos illos cives esse optimates, alteros, qui reipublicae

ruinam moliti esse traduntur, populares. Sequuntur quaedam de Alcibiadis moribus et ingenio similia eis quae c. 37 leguntur. Deinde tradit simul cum Alcibiade omnes existimasse ipsam fortunam reipublicae rediisse, et sicut Lacedaemonii eius auxilio superiores bello fuissent, sic eos sperasse ipsos eo adiutore rursus se recepturos. Diodorus igitur etiam accuratius respicit ad illam sententiam, quae apud Cornelium c. 4, 5 et ipsum Diodorum c. 37 tamquam summa omnium proposita est (in quo ipsa verba Diodori *ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι τούτου συναγωνιζομένου ἐπροτέρουν* similia sunt Cornelio c. 4, 7, quo facto multo superiores bello esse coeperunt). In contione deinde narranda apud Diodorum legitur (id quod Cornelius iam antea attulit) Athenienses confessos esse *τὴν πόλιν αἰτίαν γεγονέναι τῶν κατ' ἐκείνου ψηφισμάτων*. Quae adduntur de Alcibiade restituto prorsus consentiunt cum Cornelio, cuius verbis „cum ei omnes essent honores decreti" accuratissime respondent haec Diodori *ἁπάσας τὰς δυνάμεις ἐνεχείρισαν αὐτῷ*. Tamen apparet hoc solum ad belli imperium referendum esse, ut illud quod tradit Cornelius, ei „totam rempublicam domi bellique" traditam esse, non recte se habere consentaneum sit. In ducum nominibus afferendis Diodorus discrepat a Xenophonte, consentit cum Cornelio.

Ea quae Plutarchus c. 32, 33 refert, Frickius una cum tota eius vitae parte inde a c. 18 ad 37 praeter singula ex Duride sumpta in c. 23 et 32 Ephoro tribuit; sed iam initio c. 32 Theopompi narrationem ab eo adhibitam esse eo verisimile est, quod de navibus armis et praeda exornatis tradit, itemque illis verbis *νενικηκὼς τοὺς πολεμίους τοσαυτάκις*, quae accuratissime conveniunt cum Diodori verbis *πολλὰ καὶ μεγάλα κατειργασμένοι τῇ πατρίδι·* utrumque enim natum videtur esse ex ampliore Alcibiadis victoriarum enumeratione qualis extat apud Cornelium. Praeter naves captivas Plutarchus etiam plura *ἀκροστόλια* deletarum commemorat eaque cuncta ducenta fuisse dicit (non illas solas, ut tradit Diodorus; ceterum ipsa verba *οὐκ ἐλάττους διακοσίων* prorsus congruunt cum illo). Deinde incredibilis quaedam Duridis memoria Xenophontis testimonio refutatur [1]). Sed statim Plutarchus revertitur ad

---

[1]) Neque enim Theopompum neque Ephorum neque Xenophontem hoc tradidisse dicit Plutarchus, statimque, ut comprobaret

Theopompi narrationem; omnia enim quae usque ad finem capitis exhibentur, accuratissime congruunt cum Cornelio (velut ceteros duces a vulgo neglectos esse, lacrimasse homines pristinae calamitatis memores, cum intellegerent nisi Alcibiadem in exilium misissent illa omnia ut acciderent futurum non fuisse, quoniam eius solius auxilio *ἐκ λυπρῶν ἔτι λειψάνων καὶ ταπεινῶν* ad victoriam terra marique ducti essent). Quibus omnibus comprobatur Plutarchum ex eodem atque Cornelium fonte hausisse, neque minus in eis Theopompi de Alcibiade sententia deprehenditur.

c. 33 ordo rerum, qui optime se habet apud Diodorum et Cornelium, eo interrumpitur quod Critiae *ψήφισμα* adicitur, quod et eam ob causam et quia Ephorum eiusmodi testimoniis afferendis insignem fuisse constat, ex illo depromptum videtur. Verbis *τότε δὲ* Plutarchus ordinem interruptum rursus excipit, et quae sequuntur non solum aptissime congruunt cum Diodoro et Cornelio, sed etiam ampliora et dilucidiora sunt. Diodorus enim Alcibiadem populum *φιλανθρώπως ἀσπάσασθαι* tradit et defendendo se civium animos ita sibi reconciliasse, ut eius damnationis eos paeniteret, Cornelius autem ita eum locutum esse, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casu illacrimaret, solus Plutarchus accuratiora de oratione ab eo habita memoriae prodidit: primum igitur eum fata sua deplorasse, tamen populo non multa exprobrasse, sed omnia adverso fato et numinis invidiae attribuisse; qua animi moderatione ac lenitate quantopere hominum animi commoti sint facile intellegi potest, cum praesertim iam antea intellexissent non Alcibiadi sed sibi culpam tribuendam esse; deinde Plutarchus tradit Alcibiadem ut bonum

---

ne verisimile quidem esse, idem affert quod legimus apud Xenophontem c. 4, 18; itaque nimis artificiose Plutarchi verba interpretari cogeremur, nisi ipsum Xenophontem hoc loco a Plutarcho inspectum esse concederemus. Neque tamen inde sequitur omnia quae Xenophonti similia sint ex ipso Xenophonte sumpta esse; neque ulla causa est cur cum Hugio (qui hunc ipsum locum affert l. s. c.) Plutarchum praecipue Xenophontem et Theopompum, minus Ephorum et Duridem secutum esse opinemur: cum enim hoc loco Theopompus et Ephorus prius nominentur quam Xenophon, veri est similius eum praecipue illos, in paucis Xenophontem et Duridem adhibuisse; Xenophonte autem uti eam

oratorem civium animos ad bellum gerendum inflammasse (nempe ut eximio patriae amore etiam magis illos sibi conciliaret). In quibus rhetorica Theopompi ars latet; videtur enim satis speciose animo finxisse et fortasse oratione quam Alcibiadem habentem fecit exposuisse, quomodo ei, ut civium animos sibi reconciliaret, dicendum fuisset. Igitur etiam haec ex Theopompo sumpta esse persuasum habeo. Populi deinde decreta ad verbum fere congruunt cum Cornelio et Diodoro (qui tamen paulo minus accurate ea affert). In quibus id memoratu dignum est eam qua Cornelius utitur vocem resacrandi accuratissime congruere cum Graeca voce, quam apud auctorem suum invenit, quae extat apud Plutarchum, ἀφοσιώσασθαι (itemque devovendi vox quae affertur a Cornelio et hoc loco et c. 4, 5 congruit cum Graeca καταρᾶσθαι, quae et ipsa secundum Theopompum a Plutarcho tradita est c. 22).

Apud Plutarchum c. 34 nonnulla addita sunt, quae apud Cornelium et Diodorum non extant. Primum enim de malo illo omine, quod Alcibiades eo die quo Plynteria agebantur Athenas redierit, Plutarchus similia narrat atque Xenophon I, 4, 12; quod cur cum Frickio ex Ephoro derivatum putemus nulla certa causa est; potest enim sumptum esse aut ex Xenophonte ipso (quamquam pauca addita sunt de ritu eo die apud Athenienses sollemni) aut ex Theopompo; Theopompum enim superioribus capitibus Plutarchus secutus est eumque ipsum saepius Xenophontem adhibuisse et ipsa verba eius exscripsisse satis constat. Inde autem quae sequuntur de pompa Eleusinia restituta differunt a Xenophonte non modo additis nonnullis, sed praecipue eo, quod tota narratio ad Alcibiadis laudes praedicandas omnibus modis exornata est. Theopompo igitur haec

---

quoque ob causam ei non saepius opus erat, quia et Ephorus in plerisque et Theopompus in multis Xenophontem exscripserant, et maluit fortasse illis uti, quia ampliorem et minus siccam praebebant narrationem. Hoc ipso loco cur Xenophontis verba attulerit satis perspicitur, quoniam ad miram illam Duridis memoriam refutandam id ipsum quod Xenophon commemoravit aptissime ei convenit; quod idem a Theopompo traditum esse veri dissimillimum est (num ab Ephoro, dici nequit). Id igitur solum ex hoc loco colligi potest Plutarchum interdum ipsum Xenophontem adhibuisse.

tribuenda esse videntur, cuius sententia eo imprimis significari videtur, quod Plutarchus pompam illam dicit ὑπὸ τῶν μὴ φθονούντων ἱεροφαντίαν καὶ μυσταγωγίαν προσαγορευομένην· apparet enim τοὺς φθονοῦντας esse adversarios illos Alcibiadis, quos Theopompus plerumque perstringit. Itaque etiam ea quae initio capitis narrata sunt ad eundem auctorem non absque verisimilitudine referentur; similiter enim utroque loco Xenophontis narrationi addita sunt ea quae ad ritus sacros spectant.

Quae exeunte capite 34 tradita sunt de domestico statu rei publicae Atheniensis, ad ea quae insequenti capite narrantur de Alcibiade ab imperio remoto spectare recte vidit Frickius; quae tamen non ex Ephoro sed ex Theopompo hausta esse infra demonstrabimus. Sed ex his ipsis colligi potest Theopompum a Plutarcho hoc loco adhibitum esse. Similiter enim atque Diodorus c. 68, 4 Plutarchus hoc loco commemorat plebem non modo valde admiratam esse Alcibiadem, sed etiam sperasse eum sibi socium fere in republica evertenda, et Plutarchi quidem verba in acerrimum demagogorum convicium conversa sunt: nam cum dicit quosdam e plebe eum adhortatos esse ὅπως τοῦ φθόνου κρείττων γενόμενος καὶ μεταβαλὼν ψηφίσματα καὶ νόμους καὶ φλυάρους ἀπολλύντας τὴν πόλιν ὡς ἂν πράξῃ καὶ χρήσηται τοῖς πράγμασι μὴ δεδιὼς τοὺς συκοφάντας, id videtur significari invidia demagogorum illorum (quam usque Theopompum reprehendere vidimus) factum esse ut per plebiscita et leges et sycophantarum insidias prohiberetur, quominus rempublicam ab interitu servaret. Nullius nisi Theopompi hanc sententiam esse posse cum per se patet, tum eo comprobatur, quod idem Plutarchus simillimam profert sententiam huius vitae c. 19 exeunte, quem locum et ipsum ad Theopompum referendum esse supra conati sumus demonstrare; ubi ipsa verba τρέπεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους μὴ δεδοικότι τοὺς συκοφάντας huic loco simillima sunt.

De proelio ad Andrum facto Diodorus c. 69, 4 cum Xenophonte I, 4, 22 ad verbum fere congruit, tamen et pauca addidit et eo distat ab illo, quod Thrasybulum in insula praesidio relictum esse dicit; supra enim iam monuimus illum teste Xenophonte tum in Thracia fuisse, teste Theopompo cum Alcibiade Athenas profectum

et iterum cum eo ducem factum esse. Plutarchi verba (in c. 35) συνάρχοντας οὓς ἐκεῖνος ἠθέλησεν accuratissime congruunt cum Diodoro (στρατηγοὺς ἑτέρους οὓς ἐκεῖνος ἤθελεν), similiterque apud Cornelium haec leguntur: „et ipse postulasset ut duo sibi collegae darentur"; unde Hug l. s. c. collegit Theopompi et Xenophontis narrationes hoc loco a Plutarcho inter se mixtas esse; sed si ea similitudine, quae inter Plutarchum et Xenophontem intercedit, aliquid efficeretur, multo magis esset cur coniceremus Diodorum hoc loco Xenophontem exscripsisse; nam casu factum est ut hoc loco Diodorus (qui Theopompum sequitur auctorem) Xenophonti etiam similior sit quam Plutarchus (qui et ipse Theopompum sequitur).

De pugna apud Notium facta quattuor servatae sunt narrationes Xenophontis, Diodori, duae Plutarchi in v. Alc. et in v. Lys. Ac Diodorus quidem c. 70. 71. in multis similis est Xenophonti c. 5, 1—15, in multis ab eo discrepat. Primum enim apud Xenophontem nihil eorum invenitur quae Diodorus de ἑταιρίαις Ephesi institutis refert In ipsa pugna describenda quae discrepant, ad diversam Theopompi de Alcibiade sententiam aperte spectant; nam et Antiochi peccatum gravius vituperatur et cur Alcibiadi opus fuerit a classe discedere causa affertur, quod Clazomenae oppidum Atheniensibus amicum ab exulibus quibusdam vexatum sit; etiam quod Diodorus tradit Alcibiadem iam antequam illuc proficisceretur hostem ad pugnam provocasse, id frustra quaeras apud Xenophontem, nec minus quod ille addit post proelium factum eum quam celerrime Notium rediisse: quibus omnibus auctorem id studuisse efficitur, ut Alcibiadem quam maxime excusaret. Id quoque ad Theopompi de Alcibiade iudicium aptissime quadrat, quod profert Lysandrum eam ob causam ausum esse aggredi Athenienses, quia compertum habuisset Alcibiadem abesse.

Plutarchus v. Lys. c. 3 de Lysandro a Lacedaemoniis in Asiam misso quae narrat, tam accurate congruunt cum Diodoro, ut ex eodem fonte eum hausisse conicias; itemque quae initio eius capitis tradit, apertissime spectant ad Theopompi illam sententiam de statu rerum post Alcibiadis in Atheniensium partes reditum prorsus commutato (ἐπεὶ .... μετὰ τὴν ἐν Σικ. τῶν Ἀθην. κακο-

πραγίαν.... Ἀλκιβιάδης ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐπιστὰς τοῖς πράγμασι μεγάλην μεταβολὴν ἐποίησε καὶ κατέστησε τοὺς ναυτικοὺς ἀγῶνας εἰς ἀντίπαλον αὐτοῖς). Inde quae memoriae prodidit de eis quae Ephesi gesserit Lysander, pariter atque ea quae c. 5 de Epheso traduntur similia Diodoro c. 70, 4, eidem auctori videntur esse vindicanda. C. 4 autem quae exponuntur de eis quae Lysander cum Cyro egerit, simillima sunt Xenophonti, a quo longius hoc loco recedit Diodorus, et quae Plutarchus dicit de Tissapherne a Lysandro accusato, apte congruunt cum eis quae v. Alc. c. 25 in. c. 26 ex. c. 27 ex. de Tissapherne narrantur, ea quae ad Ephorum referenda esse supra diximus; praeterea alia insunt in hoc capite quae non inveniantur apud Xenophontem: ex Ephoro igitur haec derivata esse verisimillimum est. Ceterum cum Diodoro Plutarchus eo consentit quod decem milia daricorum Lysandro a Cyro data esse auctor est. Etiam c. 5 Plutarchus in eis quibus Diodorus a Xenophonte dissentit congruit cum Xenophonte, cuius narrationi perpauca addidit; ea igitur quae de pugna ad Notium facta hoc capite traduntur ex Ephoro sumpta esse proclivis est coniectura. In altera Plutarchi narratione v. Alc. c. 35 initio cum v. Lys. et Xenophonte, non cum Diodoro convenit, quod quattuor oboli pro tribus nautis a Lysandro dati esse dicuntur; sed et quod paulo ante traditur pecuniae inopia coactus esse πολλάκις ἐκπλέων καὶ ἀπολείπων τὸ στρατόπεδον μισθοὺς καὶ τροφὰς πορίζειν, et quod ad pecuniam comparandam tum in Cariam profectus esse dicitur, ad illam Theopompi sententiam spectat; quae iam saepius occurrit, qua duces de eis quae eis a populo crimini dabantur excusare studuit. In ipsa pugna describenda hic Plutarchi locus ad verbum congruit cum altera illa narratione in vita Lysandri, cum Diodorus nonnullis rebus ab ea discrepet. Tamen cum Diodoro consentit quod Antiochus ipse in pugna periisse traditur, itemque quod sequitur, Alcibiadem cum exitum pugnae comperisset statim Samum reversum hostes ad novam pugnam provocasse, Lysandrum autem victoria sua contentum ex portu non prodiisse. Ea igitur quibus haec Plutarchi narratio discrepat ab altera illa quae extat in v. Lys., cum qua in plerisque ad verbum congruit, ex parte quidem neglegentia orta esse possunt

(velut quod multos homines et naves captos esse v. Alc. c. 35 tradit, pro quibus et Plutarchus v. Lys. et Xenophon quindecim naves et paucos captivos tradunt), maiorem autem partem ex Theopompo sumptam esse apparet. Cum enim in ceteris omnibus quae ad Alcibiadem imperio deiectum spectant Plutarchus (ut infra demonstrabitur) Theopompum secutus sit, ea sola, quae eadem in Lys. v. narravit, ex Ephoro videtur deprompsisse; quoniam enim bis eadem ei referenda erant, verisimile est eum, ne prorsus diversa inter se traderet, utroque loco eundem auctorem exscripsisse. Itaque omnia satis plana erunt, si statuerimus Plutarchum ita rem instituisse, ut Theopompi narrationi, quam praecipue in his capitibus secutus est, pauca illa et minus accurate scripta de ipsa pugna ex Ephoro adiceret, quem solum adhibuit in altera illa eiusdem pugnae descriptione quae extat in vita Lysandri. Quod ita se habere luculenter comprobatur errore quodam, qui nullo modo explicari potest, nisi duas illas relationes a Plutarcho inter se mixtas esse existimamus (quae enim Frickius de eo profert p. 83, vix quemquam habebit adsentientem). Plutarchus enim hoc loco Alcibiadem dum pugna apud Notium fit in Caria fuisse auctor est, quod, quoniam et Xenophon et Plutarchus v. Lys. (quem Ephorum secutum esse verisimile est) ad Phocaeam, Diodorus (qui Theopompum adhibuit) Clazomenis eum fuisse tradunt, satis mirum esset, nisi apud Diodorum c 69 memoriae proditum esset etiam in Caria eum fuisse, neque tamen hoc ipso tempore, sed paulo antea (in quo etiam id memoria dignum est quod addit *καὶ συχνὰς ὠφελείας ἤθροισε πρὸς τὰς τῶν στρατιωτῶν διατροφάς*, quod cum ea quam Plutarchus profert huius itineris causa aptissime convenit). Apparet igitur Plutarchum hoc ex Theopompo sumpsisse et errorem eius inde natum esse, quod hoc loco diversas inter se Ephori et Theopompi narrationes misceret; in quo facillime fieri potuit ut ordinem rerum paulo perturbaret.

Diod. XIII, 72 in ea expeditione enarranda, quam Thrasybulus contra Thasum et Abderam fecit, multis rebus differt a Xenophonte, qui similia narrat c. 4. 9. Ea enim quam Xenophon refert expeditio suscepta est quo tempore Alcibiades Athenas profectus est, teste Diodoro contra haec facta sunt *μετὰ τὸν οἴκοθεν ἔκπλουν* (c. 72, 2)

et spatio temporis post pugnam ad Andrum factam intermisso; ibi enim eum ab Alcibiade praesidio relictum esse tradit. Praeterea eum Xenophon triginta, Diodorus quindecim naves habuisse commemorat, Abderam urbem Xenophon non nominat. Ea quae sequitur narratio de pugna ante muros urbis ab Atheniensibus cum Agide commissa a viris doctis refertur ad ea quae Xenophon tradit I, 1, 32, quae tamen prorsus alio tempore facta esse et multo minoris momenti fuisse constat. Ceterum quod Diodorus hoc loco tradit exercitum Lacedaemoniorum, qui in Attica fuisset, in Peloponnesum dimissum esse, et ipsum differt a Xenophonte, qui alterum Lacedaemoniorum regem post pugnam apud Aegos flumen commissam Deceleae etiamtum fuisse commemorat II, 2, 7, cum Diod. c. 107, 2 utrumque tradat exercitu denuo collecto in Atticam profectum esse.

De Alcibiade ab imperio remoto Xenophon nihil tradit nisi haec: Athenienses illa apud Notium pugna nuntiata aegre tulisse ratos per neglegentiam et intemperantiam eum naves illas perdidisse, eamque ob causam eos imperium aliis mandasse; quibus duobus verbis δι' ἀμέλειαν καὶ ἀκράτειαν Xenophon suam opinionem videtur aperire. Addit eum, cum etiam in exercitu moleste ferretur, in Thraciam in castella sua se contulisse. Xenophonti simillimus est Plutarchus Lys. c. 5, ubi Ephorum adhibitum videri supra diximus.

Longe distat a Xenophonte Diodorus 73, 3—74, 4, quo teste post pugnam ad Notium commissam non statim imperium Alcibiadi abrogatur, sed alterum et levius proelium ad Cymen factum narratur, quod et ipsum male accidisse dicitur In quo quod Diodorus eum dicit Cymaeis tum temporis Atheniensium sociis ψευδεῖς αἰτίας ἐπιρρῖψαι, id eam ob causam non gravem continet vituperationem, quia auctore Theopompo duces Atheniensium eiusmodi praedationibus exercitui victum quaerere propter pecuniae inopiam coacti erant. Itaque cum Cymaei apud Athenienses quererentur, quod Alcibiades sine iusta causa ipsos aggressus esset, et praeterea adversarii eius ab exercitu venissent, qui eum de consiliis communicatis cum Lacedaemoniis et Pharnabazo, ut bello composito illorum auxilio Athenis tyrannus fieret, criminarentur, populum calumniis illis temere fidem habuisse narrat et imperium ad alios detulisse ὑφορώμενον τὴν τοῦ ἀνδρὸς τόλμαν.

Diodorus igitur Alcibiadem non propter solam illam cladem ad Notium acceptam, sed maxime propter Cymaeorum accusationem et adversariorum eius calumnias ab imperio remotum esse censet; similiter Cornelius Alc. c. 7 pugna ad Notium facta omissa solam Cymaeam cladem commemorat; ut verisimile sit eum ex eodem fonte hausisse. Sed omnino Cornelius, quamquam plurima quae Diodorus tradidit omisit et nonnulla quae apud illum desunt addidit, tamen in ipsis rebus gestis commemorandis cum illo consentit. Velut quod Cornelius tradit Athenienses metuisse ne Alcibiades Persarum auxilio tyrannidem sibi vindicaturus esset, ad adversariorum illas calumnias spectare apparet, quarum Diodorus mentionem facit. Praeterea quod Cornelius tradit imperium Alcibiadi abrogatum ad unum alium delatum esse, vix intellegi posset, nisi apud Diodorum inter decem illos duces primum locum tenuisse Conon diceretur (ὁ δῆμος δέκα στρατηγοὺς εἵλετο .... ἐκ δὲ τούτων προκρίνας Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψε παρ' Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραληψόμενον). Etiam eo Cornelius cum Diodoro congruit, quod eum tradit Pactyen se contulisse. Deinde autem cum apud Diodorum quaenam auctoris de Alcibiadis culpa fuerit sententia non satis liqueat, apertius eam licet perspicere collata Cornelii narratione, qui pluribus exponit, quomodo factum sit ut populus Atheniensium ab Alcibiadis voluntate deflecteret. Quam narrationem ad Theopompi de Alcibiade sententiam spectare apparet. Primum enim quod narrat cives timuisse „ne secunda fortuna magnisque opibus elatus tyrannidem concupisceret“, accuratissime consentit cum illa quam saepius in Theopompi relatione invenimus sententia, cives ei propter ipsam magnitudinem ingenii non satis confisos esse, quae apud ipsum Cornelium exponitur c. 4. Deinde autem cum initio tradatur eo quod nihil eum non efficere posse duxissent homines, factum esse, „ut omnia minus prospere gesta culpae tribuerent, cum aut eum neglegenter aut malitiose fecisse loquerentur“, efficitur auctorem id spectasse, ut Alcibiades quam maxime excusaretur; ea enim auctoris opinio est, re vera illum tum non potuisse magis prosperum eventum consequi: quod quam ob causam non potuerit facile intellegetur si eorum reminiscemur quae Theo-

pompum de pecuniae inopia tradidisse supra identidem diximus, qua Alcibiades quominus maiora conaretur in toto illo bello impeditus sit. Denique illa quae de tyrannide ab Alcibiade secundum adversariorum eius opinionem appetita traduntur, aptissime conveniunt cum eis quae Plutarchus Alc. c. 34 ad Theopompi fidem commemorat. Ergo cum hae duae narrationes Diodori et Cornelii inter se coniungendae sint, utrumque in his ex Theopompo pendere auctore facile conieceris.

Comprobatur haec quam protulimus coniectura collata Plutarchi narratione quae extat v. Alc. c. 35. 36. Quam ex eodem ex quo Cornelius sua hausit fonte manasse facile est ad cognoscendum; Frickius igitur, cum ea quae superiore capite a Plutarcho tradita sunt, Ephoro tribuisset, utramque narrationem ad eundem referendam esse arbitratus est. Quod quominus ita statuamus id ipsum obstat, quod tota Cornelii de Alcibiade narratio optime inter se cohaeret et quae hoc loco traduntur aperte ad ea spectant quae c. 4 proferuntur. Tum si recte diximus c. 34 finem ex Theopompo sumptum esse, ex ipsa rerum coniunctione apparet initium c. 35 ad eundem referendum esse; postquam enim superiore capite tradidit nonnullos Alcibiadem adhortatos esse ut tyrannidem captaret, hoc capite dicit Alcibiadis adversarios veritos, ne revera eam usurparet, studuisse ut quam celerrime ab urbe proficisceretur. Inde quae sequuntur eo solo differunt a Cornelio, quod etiam apertius Theopompi sententiam significant; tradit enim Plutarchus pecuniae inopia Alcibiadem saepe coactum esse praedationibus victum exercitui quaerere, eiusque rei cives parum rationem habuisse, cum eum statim Chium et totam Joniam expugnaturum sperarent. Deinde non convenit cum Cornelio et Diodoro, quod hoc loco pugna ad Notium commissa traditur; sed supra vidimus pugnae illius memoriam ex Ephoro additam esse. Deinde quae Diodorus tradidit de adversariorum eius calumniis, ea accuratius persequitur Plutarchus c. 36; nominat enim unum ex adversariis Thrasybulum Thrasonis filium, cuius in Alcibiadem criminationes satis graves sunt: Alcibiadem naves illas perdidisse ἐντρυφῶντα τῇ ἀρχῇ καὶ παραδιδόντα τὴν στρατηγίαν ἀνθρώποις ἐκ πότων καὶ ναυτικῆς σπερμολογίας δυναμένοις

παρ' αὐτῷ μέγιστον, ὅπως αὐτὸς ἐπ' ἀδείας χρηματίζηται περιπλέων καὶ ἀκολασταίνῃ μεθυσκόμενος καὶ συνὼν ἑταίραις Ἀβυδηναῖς καὶ Ἰωνίσιν ἐφορμούντων δι' ὀλίγου τῶν πολεμίων. Quam accusationem, cum verae illorum casuum causae iam superiore capite commemoratae sint, consulto in maius elatam esse suspiceris, quo magis perspiceretur inimicorum in Alcibiadem invidia et malignitas. Addit Plutarchus praeterea quod castella illa in Thracia muniisset ei crimini datum esse, quia appareret eum in patria habitare aut non posse aut nolle; Athenienses igitur cum his criminibus credidissent, alios duces fecisse ἐνδεικνυμένους τὴν πρὸς ἐκεῖνον ὀργὴν καὶ κακόνοιαν.

Plutarchi igitur narratio et cum Cornelio et cum Diodoro plerisque rebus consentit et tres illae narrationes, quamquam sua quaeque habet quae non extent in ceteris, tamen neque ullo loco prorsus dissentiunt inter se (exceptis tamen eis quae Plutarchus ex Ephoro narrationi suae addidit), et in multis ita cohaerent, ut ad eundem auctorem eas referendas esse satis constet; quo exemplo comprobatur complurium scriptorum narrationes ex eodem auctore sumptas minime semper tam similes inter se esse, ut ipso ordine et copia rerum inter se consentiant (quod cum non intellexisset Frickius, in gravissimos errores incidit): velut hoc loco Cornelius ipsas res gestas quam levissime tangit, Diodorus cum plura de eis tradat, nihil fere commemorat de causis illis quibus commoti Athenienses ab Alcibiadis voluntate deflexerint, Plutarchus ex utrisque nonnulla omisit, praeterea quibusdam ex Ephoro additis rerum ordinem paulum turbavit [1]). Tres autem illas narrationes, quas inter se iungendas esse demonstravimus, ex Theopompo derivatas esse cum eo comprobatur, quod cum reliqua eius narratione artissime cohaerent, tum quod in eis Alcibiades, quem Xenophon satis graviter vituperare videtur, quam maxime excusatur; ab imperio enim remotus esse traditur partim propter illorum qui apud Plutarchum appellantur οἱ δυνατώτατοι τῶν πολιτῶν metum de tyrannide, partim propter

[1]) Quae Frickius de his omnibus profert p. 76—86, pleraque falsa sunt.

adversariorum eius in exercitu invidiam calumniasque et populi inconstantiam. Ceterum ab eis criminibus, quibus privata Alcibiadis vita vituperabatur, ne a Theopompo quidem eum prorsus defensum esse colligi potest ex Diomedis illa accusatione, cuius mentionem fecit Diodorus 74, 3. 4 [1]). Itaque quae addit Diodorus Alcibiadem timuisse *μήποτε καιρὸν λαβόντες Ἀθηναῖοι τιμωρίαν ἐπιθῶσι πάντων ὧν εἰς αὐτοὺς ἐξήμαρτε* et eam ab causam ultro in exilium abiisse, ad sola privatae vitae peccata spectare videntur.

Jam de eis quae Justinus habet l. V. c. 4, 5 paucis agere licet: pleraque enim confusiora sunt quam quibus multum adiuvemur ad vestigia auctorum indaganda; tamen etiam quae ille prodidit plurima ad Ephorum et Theopompum referenda esse videntur. Atque c. 4 quidem quae de pace a Lacedaemoniis petita tradit, ex Theopompo manasse apparet; in quibus eo imprimis cum Diodoro congruit, quod dicit pacem illam ne acciperent Athenienses opera eorum effectum esse, quibus ea res quaestum praeberet (cf. Diodori verba *οἱ δὲ πολεμοποιεῖν εἰωθότες καὶ τὰς δημοσίας ταραχὰς ἰδίας ποιούμενοι προσόδους ᾑροῦντο τὸν πόλεμον*). Itemque Theopompi mens cognoscitur in omnibus quae de Alcibiadis in urbem reditu traduntur. Deinde autem quae c 5 de Alcibiade ab imperio remoto narrat, paulum differunt a Diodoro Cornelio Plutarcho. Et ea quidem quae de pugna aliqua infelici addit utrum ad pugnam ad Notium factam an ad Cymaeam referenda sint, non satis liquet; quae autem tradit de causis cur Athenienses Alcibiadi imperium abrogaverint, non satis quadrant ad Theopompi sententiam; quo loco cum dicat „omnia in eo credibilia fecisse vigorem ingenii et morum luxuriam“, Ephorum adhibitum esse conicio, qui etiam in eis Plutarchi capitibus, quae supra illi tribuenda esse diximus, illum facit fuisse hominem magna industria et qui multa efficere posset, at eundem hominem inconstanti et dissoluto ingenio.

---

[1]) Similia de ea refert Plutarchus Alc. 12, quae ex eodem auctore sumpta esse probabile est.

Nomina decem illorum, qui post Alcibiadem duces facti sunt ab Atheniensibus, prolata a Diodoro XIII, 74 tam accurate ipso ordine servato congruunt cum Xenophonte, ut certissimum sit hoc loco Theopompum Xenophonte usum esse auctore. Tamen unum est quo Diodorus differat ab eo. Xenophon enim I, 5, 16 secundo loco affert Diomedontem, tertio Leontem, Diodorus secundo Lysiam, tertio Diomedontem. Sed hoc ipsum quomodo factum sit facile intellegitur, si statuimus Theopompum hoc loco Xenophontem adhibuisse. Apud Xenophontem enim nomen Leontis errore natum esse videri poterat, quia de Leonte praeter hunc locum nihil traditur, Lysias contra, cuius antea mentio non inicitur, in ducum numero habetur I, 6, 30. 7, 2; Theopompus igitur cum id animadvertisset Lysiae nomen statim ab initio pro Leonte posuisse videtur ut aptius res inter se convenirent. Attamen Herbstio [1]) si credimus, non Leontis sed Archestrati loco, cum is mortuus esset, Lysias dux factus est: quo comprobatur Xenophontis locum recte se habere, Theopompum tamen, cum illo uno auctore uteretur, veram causam difficultatis illius, quae verbis eius videtur inesse, non perspexisse eique falso ita conatum esse mederi, ut Lysiae nomen pro Leonte substitueret.

De rebus a Callicratida gestis Diodorus c. 76 accuratiora tradidit quam Xenophon; ac pro narratiunculis illis, quibus Xenophon (I, 6, 1—11) virtutes viri exposuit, apud Diodorum quaedam generaliter in eius laudem dicta sunt; cum quibus cum accuratissime consentiat Plutarchus Lys. c. 5 extr., hunc locum ad eundem auctorem referendum esse verisimile est; huc accedit quod artissime coniunctus est cum illis quae eodem capite traduntur de optimatium imperio Ephesi instituto, quae simillima sunt Diodori c. 70. Proximo autem capite cum narratiunculae illae a Xenophonte proditae etiam amplius exornatae repetantur apud Plutarchum, hoc ex Ephoro sumptum esse apparet, quem maxime in his capitibus eum secutum esse constat.

In ampla illa et satis dilucida de proelio ad centum insulas facto narratione, quae extat apud Diodorum c. 77—79, omnia ea,

---

[1]) Die Schlacht bei den Arginusen, Hamburg 1855, p. 17.

quae Theopompi in pugnis describendis propria sunt, cognosci licet, et accuratam locorum descriptionem rerumque nauticarum notitiam, et amplam strategematum expositionem, et speciosam narrationem, qua tamquam sub oculos res subiciuntur, et adversariorum in pugnando certationis oppositionem. Ceterum Herbstio (l. s c. p. 20 sq. nota 31) adsentior Diodori de hac pugna narrationem praeferendam esse Xenophonti, qui de ea pauca nec satis perspicua tradit I, 6, 16. 17.

Etiam de nova classi ab Atheniensibus instructa accuratiora tradidit Diodorus c. 97, 1, quam Xenophon 6, 24; velut non invenitur apud Xenophontem quod ille commemorat civitatem metoecis et peregrinis datam esse. Dissentiunt praeterea inter se de navium ab Atheniensibus armatarum numero, de qua differentia si recte disseruit Herbstius p. 27, etiam in ea re Diodorus accuratior est (cum quo consentit Plat. Menex. 243 e). In pugna ad Arginusas insulas describenda (Diod. c. 97 99) statim ab initio Theopompi vestigia apparent in accuratissima locorum descriptione (97, 3). Inde cum Xenophon (6, 32) tradat Callicratidam ab Hermone praemonitum esse, ne paucioribus navibus proelium iniret, apud Diodorum legitur et Callicratidae et Thrasyllo a vatibus ipsorum interitum et classis victoriam praedictam esse. Quae vaticinia adlata esse apparet, quo magis ducum virtus eluceret; et praecipue oratione illa Callicratidae (c. 98, 1. 2) fortitudo eius et animi constantia quam maxime effertur. Dissentiunt a Xenophonte ea quae Diodorus tradit de acie ab Atheniensibus instructa (c. 98, 3 – 5). Amplissimus deinde est in adversariorum pugnandi studio describendo (c. 99, 1. 2); cui addit omnes sperasse hoc proelio bello finem impositum iri (cum quo loco etiam conferendum est quod § 6 commemoratur de Euboeensibus). Sequitur speciosa de morte Callicratidae narratio, quae simillima est relationi mortis Mindari quae legitur c. 51, 6. In quibus omnibus huius pugnae descriptio minime abhorret a ceteris eis quas ad Theopompum referendas esse statuimus.

In eis quae c. 100 traduntur de navium reliquiis ab Atheniensibus collectis, statim cernitur, quod Grotius vidit interesse inter Xenophontis et Diodori narrationes, quod apud Diodorum non agitur

de servandis eis qui etiamtum viverent, sed de mortuorum corporibus sepeliendis. Cetera quae hoc capite narrantur ad verbum nonnunquam congruunt cum Xenophonte. In paucis eis quibus differt ab eo Plutarchus Lys. c. 7, magis convenit cum Xenophonte, Ephorum igitur eum etiam in his secutum esse satis probabile est; tamen quae exeunte c. 7 narrantur de Callicratida et Lysandro, tam accurate consentiunt cum c. 5 extr., ut haec rursus ad Theopompum referenda esse verisimile sit.

In eis quibus de ducibus Atheniensium in iudicium vocatis agitur, Diodorus XIII, 101—103 eo praecipue differt a Xenophonte I, 7, quod Theramenis malitia, quam Xenophon aperte detexit, apud Diodorum quam maxime occultatur. Velut statim ab initio tradit duces antequam accusati essent litteris ad populum missis culpam illius calamitatis in Theramenem et Thrasybulum contulisse: qua re eos non modo in eorum ipsorum (quibus amicis uti poterant), sed etiam in vulgi invidiam incurrisse; postquam enim Theramenes et Thrasybulus ab illis criminibus se defendissent, factum esse ut hominum ira eo magis in illos se converteret. Qua re Theramenes paene excusari videtur, quod propter falsam illorum criminationem ira incensus ipse accusatorum numero se adiunxerit. Deinde cum Xenophon (I, 7, 8) tradat Theramenem, cum Apaturia agerentur, homines vesti lugubri et tonsis capillis subornasse, qui in contionem venirent et se mortuorum illorum cognatos esse simularent, Diodorus revera cognatos eorum venisse narrat (101, 6). Nomina reorum apud Diodorum (101, 5) non recte afferuntur; nam et Calliadis nomen prorsus falsum est et Erasinidem omisit, itemque hoc quidem loco Diomedontem, quem tamen postea nuncupat (102, 1). Deinde Theopompus in eo cognoscitur, quod haec narratio quam maxime in populi et demagogorum vituperationem conversa est. Velut Diodorus c. 101, 6 tradit vulgus accusatoribus καὶ τοῖς πρὸς χάριν δημηγοροῦσιν aures dedisse, contra reos quominus loquerentur inhibuisse. Deinde actione ipsa brevissime narrata Diomedontis constantia quam maximis laudibus effertur, qui iniustam mortem oppetiturus nihil cives rogavit nisi ut vota pro patriae salute facta exsolverent: quo etiam magis manifestum fit plebis vitium, quod quantum fuerit extr. c. 102 pluribus exponitur (οὕτω δ' ὁ δῆμος κτλ.).

Deinde etiam eis quae capite proximo adduntur, Theopompi sententia diluoide apparet; cum cuius consuetudine etiam id aptissime videtur posse consociari, quod singulae sententiae inter se subtilissime opponuntur (ταχὺ δὲ καὶ τοῖς πείσασι καὶ τοῖς πεισθεῖσι μετεμέλησεν .... οἱ μὲν γὰρ ἐξαπατηθέντες ἐπίχειρα τῆς ἀγνοίας ἔλαβον μετ' οὐ πολὺν χρόνον καταπολεμηθέντες οὐχ ὑφ' ἑνὸς δεσπότου μόνον, ἀλλὰ τριάκοντα, ὁ δ' ἐξαπατήσας καὶ τὴν γνώμην εἰπὼν Καλλίξενος εὐθὺς τοῦ πλήθους μεταμεληθέντος εἰς αἰτίαν ἦλθεν ὡς τὸν δῆμον ἐξηπατηκώς κτλ.). Universam autem huius causae narrationem apparet Theopompum ad consilium suum in his rebus scribendis accommodasse; cum enim cetera aptissime ei convenirent, quibus populum Atheniensium post Alcibiadem reiectum summis sceleribus se adstrinxisse ostenderet, Theramenis perfidia et malignitas cum reliqua eius narratione, qua illum fecerat fuisse hominem praeclaro ingenio praeditum et optime de patria meritum, non satis congruere videbatur: itaque illum quam maxime potuit excusavit. Eandem ob causam in hac narratione culpa sceleris in solos demagogos confertur: quam rectius fortasse fallaciis ab optimatium factione et imprimis ab ipso Theramene in duces illos intentis attribueris (de qua re consentio cum Herbstio p. 57 sq.).

Diodorus c. 104, 1 praeter Cononem solum Philoclem ducem Atheniensium factum esse dicit, qui soli in eis quae sequuntur commemorantur. Xenophon I, 7, 1 cum Conone et Philocle etiam Adimantum, paulo post (II, 1, 16) Tydeum Menandrum Cephisodotum duces factos tradit. Deinde quae Diodorus narrat de Lysandro (104, 2. 3), ad verbum passim congruunt cum Xenophonte II, 1, 10. Desunt praeterea apud Xenophontem quae Diodorus narrat de optimatium imperio Mileti a Lysandro instituto (104, 5. 6). Tum pro Cedrea, quam urbem Xen. II, 1, 15 commemorat a Lysandro expugnatam esse, Diodorus affert Iasum. Idem c. 104, 7 addit quaedam de eius in Atticam itinere, cuius mentionem non fecit Xenophon; ac Theopompi quidem narrationem etiam ampliorem Diodoro fuisse apparet: is enim profitetur exponere se noluisse quae ille in hoc itinere gesserit. Quae capite extremo addit de Lampsaco expugnata, accurate conveniunt cum Xenophonte II, 1, 19.

De optimatium imperio Mileti instituto praeter Diodorum etiam Plutarchus refert duobus locis Lys. c. 8 et c. 19, qui et inter se et cum Polyaeno (qui eadem tradit I, 45, 1) tam accurate congruunt, ut hae tres narrationes ad eundem auctorem referendae sint. A Diodoro (praeter numerum occisorum quem Plutarchus affert c. 19, quae differentia errore nata esse potest) hae narrationes non adeo dissentiunt, ut non ex eodem fonte manare potuerint; quamquam Diodorus plura tradidit de ipsis rebus gestis, Plutarchus et Polyaenus amplius exponunt Lysandri dolum, quem Diodorus omnino non commemorat; veri igitur non est dissimile etiam Plutarchum haec ex Theopompo deprompsisse. Cap. 9 quae de Cyro tradit Plutarchus cum accuratius congruant cum Xenophonte quam cum Diodoro, Ephorum hoc loco eum secutum esse suspicor. Deinde de eis quae in Attica gesserit nonnulla addit quae Diodorus omisit; quae quamquam non inveniuntur apud Xenophontem, tamen ex eodem fonte atque ea quae praecedunt sumpta esse apparet: ea enim quae ordine rerum non interrupto sequuntur de Lampsaco a Lysandro capta, et ipsa accuratius cum Xenophonte quam cum Diodoro consentiunt.

In pugna apud Aegos flumen narranda Diodorus c. 105. 106 a Xenophonte dissentit eis quae de Alcibiade tradit. Xenophon enim II, 1, 25 tradidit illum monuisse duces Atheniensium, ne procul a portu et urbe castra collocarent, illos autem, maxime Tydeum et Menandrum, iussisse eum abire; ipsos enim iam duces esse, non illum. Diodorus contra narrat Alcibiadem Atheniensibus auxilium Medocis et Seuthae regum Thracum promisisse, si se imperii participem fecissent; quod si fecissent, se hostem coacturum aut proelium navale inire aut cum Thracibus pugnare. Ac Diodorus eum collaudat quod etiamtum patriam adiuvare studuerit; duces autem veritos ne, si prospere res evenisset, futurum esset ut omnes laudes in illum solum congererentur, eum iussisse abire. In quibus Theopompi narrationem extare apparet. In ipsa autem pugna describenda Diodorus eo praecipue dissentit a Xenophonte, quod tradit Philoclem, cum revera proelium cum Lysandro inire voluisset, classem parasse, tamen consilium eius eo irritum factum esse, quod Lysander per nuntios de illo consilio certior

factus classem nondum militibus completam oppresserit et postquam paulisper restiterit devicerit. Terrestribus Lacedaemoniorum copiis Diodorus Eteonicum, Xenophon Thoracem praefuisse testis est. Post pugnam Diodorus tradit decem Atheniensium naves fugisse, quarum una Conon ad Euagoram se contulerit *φοβηθεὶς τὴν ὀργὴν τοῦ δήμου*, milites inde Sestum confugisse; Spartam autem a Lysandro unam ex suis navibus armis et praeda ornatam missam esse auctor est Diodorus, cum Xenophon dicat eum piratam quendam misisse. Adduntur quaedam quae non inveniuntur apud Xenophontem de Sesto capta et de Gylippi scelere.

Praeter Diodorum Theopompi de hac pugna narrationis vestigia extant apud Cornelium Alc. 7. 8. Qui cum de rebus in Thracia ab Alcibiade praeclare gestis exponat c. 7, tamen dicit eum a patriae amore non destitisse (c. 8), de qua re accuratissime congruit cum Diodoro. Proprium huius narrationis est, quod Lysander id traditur egisse, ut quam maxime bellum duceret, cum Athenienses propter pecuniae inopiam non diu sustenturos intellexisset. Quod vero dux Atheniensium solus Philocles nuncupatur, ea re magis convenit cum Diodoro quam cum Xenophonte; Diodorus enim tradit Philoclem eo die classi praefuisse (c. 106, 1). Deinde in eis, quae Alcibiades cum ducibus Atheniensium egit, Cornelius prorsus consentit cum Diodoro et quae Philocles animo versaverit accuratius indicat; qui teste illo etiam intellexit Alcibiadem recte dicere. Illum deinde cum abiret omnia ea quae postea acciderint eventura praedixisse. Denique pauca illa quae de ipsa pugna adiecta sunt, accurate conveniunt cum Diodoro.

Contra Plut. Lys. 9. 10 cum in omnibus eis, quibus Diodorus et Cornelius dissentiunt a Xenophonte, consentiat cum hoc, nonnulla praeterea addit, quibus quae apud Xenophontem extant magis perspicua fiunt: Ephoro igitur haec tribuenda esse certissimum est. Plut. Alc. 36 in rebus ab Alcibiade in Thracia gestis exponendis prorsus consentit cum Cornelio; inde autem quae sequuntur (a verbis *Ἐπεὶ δ' οἱ περὶ Τυδέα καὶ Μένανδρον* usque ad capitis 37 vocem *ἀπῄει*) ad verbum fere congruunt cum Plutarchi Lysandro non modo in eis quae apud Xenophontem similiter narrantur, sed etiam in eis quae illius relationi addita sunt. Tum

quae adnectuntur (καὶ τοῖς προπέμπουσι κτλ.) non minus accurate congruunt cum Theopompi narratione quae extat apud Diodorum et Cornelium: tamen ipsius pugnae descriptio ad eundem quem in v. Lys. secutus est auctorem referenda est (velut quod utroque loco tria milia captivorum a Lysandro necata esse dicuntur, qui numerus non invenitur apud Xenophontem, cf. Lys. c. 13). Videtur igitur Plutarchus in his prorsus eodem modo rem instituisse atque supra in eis quae in utraque vita de Alcibiade ab imperio remoto tradidit: pleraque enim in utraque vita scribenda ex eodem auctore sumpsit, quem Ephorum fuisse consentaneum est, in altera tamen (Alcibiadis) nonnulla ex altero quodam auctore (Theopompo) ita addidit, ut ea ad arbitrium suum rerum ordini accomodaret et conecteret.

Iam ut quaestionem de Alcibiade quid tradiderit Theopompus usque ad finem perducamus, restat ut diversas de eius morte famas perscrutemur. Diodorus igitur XIV, 11 ineunte secundum eundem auctorem quem usque ad hunc locum secutus est, Theopompum dico, prodit Pharnabazum Alcibiadem interfecisse χαρίσασθαι βουλόμενον Λακεδαιμονίοις, tum ampliorem addit narrationem, quam ex Ephoro se sumpsisse ipse testatur. A Theopompo haec narratio eo maxime differt, quod Pharnabazus non Lacedaemoniorum iussu sed sua sponte Alcibiadi insidias parasse traditur, quia noluerit illum infesta Cyri consilia ad regem deferre.

Theopompi narratio plenior servata est apud Cornelium Alc. 9. 10 et praeterea apud Plutarchum Alc. 37—39. Atque Cornelius quidem c. 9 refert Alcibiadem, cum in Thracia se non satis tutum esse arbitraretur, supra Propontidem se contulisse, inde eis quae apportasset a Bithynis privatum ad Pharnabazum profectum mox in eius gratiam venisse. Cum autem ad patriam liberandam omni ferretur cogitatione, eum apertis eis quae de Cyri consiliis comperisset magnam se apud regem Persarum gratiam initurum sperasse. Sed cum de hac re cum Pharnabazo consilia communicasset, triginta tyrannos Lysandrum instigasse ut illum persequeretur, quo facto illum Pharnabazo quae regi cum

Lacedaemoniis essent renuntiasse, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset: quod idcirco cum Ephori narratione non consentit, quia is ipsorum Lacedaemoniorum consilia Pharnabazum ad regem deferre voluisse tradit. In dilucida et speciosa de caede Alcibiadis narratione Theopompi scribendi genus certo distinguitur. Illum enim succensa ea in qua dormiebat casa ex incendio effugisse et telis deinde interfectum esse tradit; quo facto uxorem eius eodem igni qui vivum opprimere non potuisset mortuum cremasse.

Cum Cornelio prorsus consentit Plutarchus Alc. 37—39, in cuius relatione Theopompi de Alcibiade sententia apertius cernitur. Etiam hoc loco in Bithyniam fugisse et consilium salutis Atheniensibus a rege Persarum petendae cepisse traditur, idque opponitur malo illi Themistoclis consilio, qui contra cives suos Persarum auxilium invocaverit. Deinde cum Cornelio etiam id congruit, quod Alcibiades a Pharnabazo amice et honorifice exceptus esse fertur. Tum apertissime ad Theopompi sententiam spectat, quod Plut. c. 38 narravit populum Atheniensium tum paenituisse omnium suorum vitiorum (quod optime convenit cum eis, quae apud Diodorum c. 103 leguntur), quorum maximum id fuisse duxissent, quod Alcibiadem propter nullum ipsius vitium, sed propter paucas illas naves a gubernatore eius perditas ab imperio removissent. Tamen cives omnem in eo spem salutis posuisse, quia putassent eum non passurum se a Lacedaemoniis et triginta tyrannis vexari. De qua re sollicitos tyrannos Lysandrum docuisse vivo Alcibiade non sine perpetuo periculo imperium suum posse sustineri; illum tamen non prius ut ei insidias pararet adductum esse, quam a Spartiatis eum de medio tollere iussus esset. Cap 39 quae de Timandrae somniis afferuntur, ex alio fortasse auctore sumpta sunt, itemque quae extremo capite adduntur (ἔνιοι δὲ κτλ.) ad Duridem vel Satyrum videntur referenda. Cornelius ultimo vitae Alcibiadis capite et Thucydidem et Timaeum et Theopompum Alcibiadem laudasse commemorat; de quo loco iam supra dictum est. Tum quae sequuntur similia sunt eis quae Plut., Alc. 23 tradit nec minus Satyri fragmento quod exstat apud Athen. XII p. 534 B. Tamen sunt quibus tres illi loci inter se differant, neque ad eundem

auctorem eos referre licet; ex Theopompo certe Cornelius haec non videtur hausisse, quamquam in tota reliqua vita hunc unum ducem secutus est.

IV.

Restat ut summam eorum, quae effecimus, breviter complectamur.

Primum si quaerimus, qua ratione inferioris temporis scriptores auctoribus suis usi sint, comprobatum est quod et Stedefeldt coniecit et Frickius pluribus persecutus est, Diodorum in ultimis belli Peloponnesiaci annis describendis unum Theopompum secutum esse. Ad eundem cum Stedefeldtio tota Cornelii vita Alcibiadis referenda est, cuius solum c. 7 Frickius post illum Ephoro falso tribuit. Minime inter viros doctos constabat de Plutarchi consuetudine in superioribus rerum auctoribus adhibendis. Postquam enim Stedefeldt diligentissima quaestione statuit Lysandri vitam Plutarcheam ex multis variorum scriptorum particulis compositam esse neque unquam eum per multa capita unum auctorem secutum, Frickius tamen in v. Alc. c. 18—37 (praeter pauca illa ex Duride sumpta c. 23 et 32) unum Ephorum ab eo adhibitum esse censuit. Nos igitur demonstrare conati sumus etiam in his Plutarchi narrationem ex singulis complurium scriptorum particulis ita conglutinatam esse, ut saepe in mediis sententiis ab altero auctore ad alterum transgrederetur; ex quo consequitur ut nusquam liceat ex sententiarum ac rerum coniunctione qualis apud Plutarchum extat concludere ad eundem auctorem illas referendas esse, quod saepissime fecit Frickius [1]). Nec minus idem

---

[1]) Neque tamen concesserim quod Stedefeldt (p. 52 sq.) de v. Lys. c. 3 — 7 sibi visus est eruisse, Plutarchum ea quae ex compluribus scriptoribus permixte tradat, antea illa quidem perlecta ex memoria litteris mandasse; semper enim quamvis ex multis scriptoribus permixta et conglutinata sit eius narratio, tamen (quod de illis capitibus ipse

eo erravit, quod Plutarchum fere semper ipsa verba atque adeo sententiarum ordinem ac coniunctionem ex eis quos sequeretur auctoribus exscripsisse putavit; in quibus rebus cum ceteris scriptoribus aliqua tum etiam maior Plutarcho concedenda est libertas [1]).

Quod attinet ad rationem quae inter Theopompi Ephorique relationes intercedat et Thucydidem Xenophontemque, hoc maximi momenti est, quod nostra quaestione efficitur non solum Ephorum, sed etiam Theopompum illos in historiis suis scribendis adhibuisse et ipsa verba eorum saepe expressisse. Non recte igitur viri docti statuerunt ea Diodori vel Plutarchi, quae similia essent Thucydidi vel Xenophonti, non posse ex Theopompo, sed ex solo Ephoro sumpta esse. Tamen prorsus alia ratione Theopompus illorum libros in usum suum convertit atque Ephorus. Theopompus enim in plerisque ab illis longe discessit nec solum res ab eis traditas eis, quae ipse perquirendo indagaverat, auxit et explevit, saepe etiam, ut aliquid delectationis eis adderet, temere immutavit et exornavit, sed etiam cum magis suo de hominibus ac rebus iudicio ab eis deflecteret et totam narrationem ad mentem suam optimatibus amicam et populo Atheniensium infensam accommodaret, simillimus est illius temporis oratoribus, quorum discipulum eum fuisse constat [2]). Contra multo magis Ephorus ad auctores suos se applicat, qui neque a Thucydide neque a Xenophonte (in eis praecipue, quibus is nihil nisi materiem a

---

Stedefeldt rectissime statuit) unum auctorem praecipue secutus esse et pauca tantum ex ceteris (quae si dis placet memoria tenuerit) videtur inseruisse. Cui id argumento est, quod ea quae eadem in Alcibiadis et Lysandri vitis traduntur, ad verbum fere inter se congruunt, quamquam in v. Alc. nonnulla ex altero quodam fonte, quo in v. Lys. non usus est, inserta sunt.

[1]) Ceterum talem quaestionem qualem C. Buenger (eo libro qui inscribitur Theopompea Argentorati 1874) sibi proposuit, qui Plutarchi orationem et genus dicendi observando eius fontes indagare conatus est, non sine magna utilitate esse libenter concedo; qui Theopompi genus dicendi nonnullis Plutarchi locis, qui etiam nobis ad illum videntur referendi esse, agnosci vult (cf. p. 49 sq.).

[2]) Velut conferas Isocratis orationem περὶ ζεύγους, qua Alcibiades prorsus simili modo atque apud Theopompum de omnibus eis, quae

Thucydide relictam tractavit) ausus est multum recedere, pauca tamen addidit et in nonnullis nimis acerbum illorum iudicium mitigare studuit. Ceterum etiam Ephorus putandus est sibi proposuisse, ut materiem a Xenophonte satis aride et impolite memoriae proditam paulo pleniorem et iucundiorem redderet; quod si recte coniecimus, facile intellegitur cur Plutarchus eius potius narrationem quam ipsum Xenophontem secutus sit.

Non minoris momenti sunt quae ex hac quaestione sequuntur de iudicio quod faciendum sit de rebus ultimis belli Peloponnesiaci annis gestis. Adhuc enim historicis in diversis inter se scriptorum sententiis iudicandis nihil relictum erat nisi ut singulis quibus illi inter se dissentirent collatis quae per se probabiliora essent discernerent; iam paulo aliter res se habet, quoniam complurium veterum scriptorum de tota hac rerum serie sententiae inter se discrepantes conferendae sunt, altera Thucydidis et Xenophontis, qui illum in gravissimis rebus prorsus secutus est, altera Theopompi, inter quos medium fere tenet locum Ephorus, ita tamen, ut propius accedat ad Thucydidem et Xenophontem. Et Thucydidis quidem de Alcibiade iudicium non ab omni ira atque invidia remotum esse concedo; et eam ipsam ob causam Ephorus, qui in plerisque non ausus est multum ab eo recedere, tamen de illo aliquanto mitius videtur existimasse. Multo magis Theopompum demonstratum est harum rerum narrationem ad studium suum voluntatemque accommodasse atque adeo ipsas res gestas, quo magis in sententiam suam convenirent, temere immutasse: qui tota sua narratione populum Atheniensium eiusque duces perstrinxit, Alcibiadem summis laudibus extulit et, quo magis totam eorum quae adversa fierent culpam in illos converteret, paene omnium vitiorum expertem finxit. Itaque apparet verendum esse, ne Theopompo nimium tribuamus fidei: tamen verisimile non est ubicunque a Thucydide et Xenophonte differat, prorsus falsa eum memo-

---

cum magno patriae detrimento suscepit, excusatur eorumque culpa optimatium machinationibus tribuitur, quos, cum perniciem liberae reipublicae molirentur, eam ob causam fingit illum odio persecutos esse, quia consiliis suis eum obstare intellexissent.

riae prodidisse, sed in nonnullis concedendum erit eum propius ad verum accedere quam illos, qui, cum mala de Alcibiade opinione tenerentur, ingenii eius magnitudinem parum videntur agnovisse. Nam si ipsas res, quales ab omnibus illis scriptoribus traditae sunt, spectamus, probabile non est Alcibiadem, postquam in Atheniensium partes redierit, usque eo suo solum commodo serviisse atque adeo neglegenter et intemperanter imperio functum esse, ut Grotius existimavit, qui Thucydidi nimium credidit eumque etiam exsuperat in illo vituperando: immo vero et admirabilem in bello gerendo virtutem et industriam praestitisse et in variis factionum studiis magna moderatione videtur usus esse. Nec negari potest Grotium, cum ea propter quae Alcibiades iterum ab imperio remotus est, illi soli vitio verteret, nimio studio populi Atheniensium omni culpa absolvendi abreptum esse. Equidem proxime accesserim ad eam quam Herbstius de his rebus proposuit sententiam (in eo quem saepius laudavi libro p. 1—3), a qua ne E. Curtius quidem multum dissentit [1]).

Quod attinet ad factiones Atheniensium, eo quod et Thucydides et Theopompus optimatium partibus faverunt et in populo demagogisque vituperandis consentiunt, factum esse videtur, ut inferioris temporis scriptores, qui illorum de his rebus narrationem potissimum secuti sunt, illos quoquo modo perstringerent, contra perniciosas optimatium machinationes, quae a Theopompo prorsus dissimulatae erant, silentio fere praeterirent, quamquam his potissimum tristes illorum annorum casus tribuendi esse videntur (de quo et ipso imprimis Herbstio adsentior, dissentio a Grotio).

Unum restat ut quibus auctoribus singulae eorum de quibus egimus scriptorum partes tribuendae videantur uno conspectu colligam; sunt igitur hi:

Diod. XIII, c. 34, 1—3. 36, 1—4. 41, 3 Ephorus.
c. 36, 5—41, 2. 41, 4—42, 4 Theopompus.
c. 45—107 Theopompus (exceptis eis quae ad res Siculas spectant).
XIV, c. 11 in. Theopompus, inde Ephorus.

[1]) Simile etiam Vischeri iudicium est, cf. „W. Vischer, Alcibiades und Lysandros" Basileae 1845.

Corn. Alc. c. 1—10 Theopompus.
c. 11 Duris vel Satyrus.

Plut. Alc. c. 18—22 Theopompus.
c. 23— Εὐδοκιμῶν δὲ Ephorus, inde usque ad finem capitis Duris.
c. 24—31 Ephorus insertis quibusdam ex Theopompo.
c. 32 Theopompus, additis nonnullis ex Duride et Xenophonte.
c. 33 — τότε δ' Ephorus, inde usque ad finem Theopompus.
c. 34 Theopompus.
c. 35 Ephori et Theopompi narrationes permixtae sunt.
c. 36 —'Επεὶ δὲ οἱ περὶ Τ. Theopompus.
c. 36 'Επεὶ δὲ — c. 37 ἀπῄει Ephorus.
c. 37 καὶ τοῖς προπ. usque ad finem Theopompus, insertis quibusdam ex Ephoro.
c. 38. 39 Theopompus, additis nonnullis ex Duride vel Satyro.

Plut. Lys. c. 2. 3 Theopompus.
c. 4. 5 — Ὁ δὲ Λύσανδρος Ephorus, inde usque ad finem Theopompus.
c. 6. 7 — Τοῖς μὲν οὖν πλείστοις Ephorus.
c. 7 Τοῖς μὲν οὖν usque ad finem capitis 8 Theopompus.
c. 9 — 11 Ephorus.

Iust. l. V. c. 1 — 3 Ephorus.
c. 4 Theopompus.
c. 5 Ephorus.